Tres induſtrii Piſcatores apud Monaſterium B. Mauritii A martyris, cujus erant ſervi, Dominicæ Reſurrectionis nocte in Rhodanum, conſcenſa navi, retia jactarunt. Tum verò non uti conſueverant, ſed ingentem piſcium multitudinem ceperunt, ita ut pluribus annis neque tam magnos, neque tam multos piſces illic ſe cepiſſe faterentur. Læti ergo navim appellunt eò loci, quò ſoliti erant, ſed ex ea exire non poſſunt. Duo enim ex ipſis manuum, & pedum officio privati toto corpore contriti erant. Tertius verò, & claudus, & ſurdus effectus eſt, divina in eos ultione animadvertente, quòd Dominicæ Reſurrectionis noctem violaſſent. Porrò is, qui audiendi, & gradiendi vim omnem perdiderat, duobus ſe ſuſtentans ſcipionibus, & aliorum etiam opera adjutus, Sanctorum loca viſitat, & apud venerabilia ſervorum Dei ſepulchra divinam implorat miſericordiam, ut eorum præclaris meritis poſſit amiſſam recuperare ſanitatem. Cùm jam autem multa peragraſſet loca, venit etiam ad B. Bertini monaſterium Sithiu, ubi corpus ejus quieſcit: & fratribus ejus loci nocte Dominicæ Reſurrectionis in Eccleſia vigilantibus, ille acerbo correptus morbo à ſociis precandi cauſa in Eccleſiam introducitur, atque illic cum multis lachrymi ſalutem à Domino per B. Bertini merita petens, cùm ſacroſanctum Evan- B gelium recitaretur, videt apud ſe quædam ardere lumina, & ita ſenſim morbo recedente, ſubitò ſe curatum ſentit coram fratribus. Poſt ſynaxim autem gratias immenſas agens Deo, & S. Bertino, lætus inde digreſſus eſt. *In vita apud Sur. t. 5. Sept. 15.*

PRIVILEGIA, ET PRÆROGATIVÆ APUD JUDÆOS.

Feſtum Paſchale apud Judæos per ſeptem dies durabat, quibus pane azymo veſcebantur. Eratque primus, & ſeptimus maximè ſolemnis. Immolabatur autem prima veſpera ante primum diem Phaſe, ſive Agnus Paſchalis, quem ea nocte comedebant: Primo quoque, & ſeptimo ceſſabant ab omni opere, nihilominus quolibet die offerebantur ſacrificia, de quibus *Num. 28. v. 19.*

Etiam in die Paſchæ neminem accuſare, condemnare, aut ſupplicio afficere poterant, atque ex hinc dicebant, dum de Chriſto è medio tollendo cogitabant, non in die feſto: ne fortè tumultus fieret in populo. Quin ſolebant etiam hoc tempore, qui morte digna patraverant, abſolvere propter feſti ſolemnitatem; immò ob memoriam liberati ex Ægypto populi, ex veterum traditione vinctum unum eo die ex carcere dimitte- C bant, quomodo tempore paſſionis Chriſti, populo proponebatur à Pilato Chriſtus, & Barrabas liberandus, *Mat. cap. 27.* quando & Barrabam poſtolabant, Chriſtum verò cruci tradebant. Etiam religione ducebantur feſti, ut corpora mortuorum ſepelirentur, neque remanerent in locis, vel inſtrumentis ſuppliciorum, ut colligere eſt apud *Joannem c. 19.*

APUD CHRISTIANOS.

Anno Dominicæ Incarnationis 386. Valentinianus Imp. de relaxandis tempore Paſchali vinctis ejuſmodi generale propoſuit edictum: Nemo deinceps tardiores fortaſſis afflatus noſtræ perennitatis expectet. Exequantur Judices, quod indulgere conſuevimus. Ubi primùm dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula ſolvantur. Sed ab his ſecernimus eos, quibus contaminari potius gaudia, lætitiamque communem, ſi dimittantur, advertimus. Quis enim ſacrilego diebus ſanctis indulgeat? Quis adultero, vel inceſti reo tempore caſtitatis ignoſcat? Quis non raptorem in ſumma quiete, & gaudio communi perſequa- D tur inſtantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quieſcere ſepultos quadam ſceleris immanitate non ſivit. Patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorque monetæ. Homicida quod fecit, ſemper exſpectet. Reus etiam majeſtatis de Domino, adverſus quem talia molitus eſt, veniam ſperare non debet. Mediolani *l. 8. Cod. Theodoſ. Baron. tom. 4. anno 386.*

Flavianus Epiſcopus Antiochenus legatione fungens Conſtantinopoli coram Theodoſio Imper. pro populo Antiocheno ſub gladio ira Principis periclitante; hæc ad eum: Recordare priorum, quando ſolemnitate hac (nempe Paſchali) ſuperveniente, per totum orbem terrarum epiſtolam miſiſti, jubentem carcere detentos dimitti, & illis ignoſci crimina; & illis humanitatem tuam demonſtrare non ſufficientibus per litteras dicebas: Utinam mihi liceret, & defunctos revocare, & reſuſcitare, & ad priorem vitam reducere. *S. Chryſoſt. orat. de Flaviano. Baronius ſuprà.*

PASCHÆ JUDÆORUM, ET CHRISTIANORUM CONVENIENTIA.

Diximus *in loco de Feſtis diebus Tit. de Paſcha*, nomen Paſchæ, ſive Phaſæ traduci ad ſignificanda quatuor. Primò, ut ſit idem quòd tranſitus. E

Secundò, ſignificat metonymicè agnum immolatum pro hoc tranſitu: ſic ſæpè in Scriptura dicitur immolari, vel comedi Paſcha, id eſt, agnus Paſchalis.

Tertiò, inde traductum eſt ad feſtum Paſchale: feſtum enim quo immolabatur hic agnus paſchalis, vocatur Paſcha: immò & ſeptem dies azymorum illi contigui, vocantur Paſcha, *Act. 12. v. 4.* quia ſolemnitas hæc ſeptem dierum cum Paſchate incipiebat, eratque propter ipſum Paſcha.

Quartò. Paſcha ſignificat victimas quaslibet ovium, & boum, quæ illis ſeptem diebus immolabantur, de quibus *Num. 28.* hæc enim à prævio Paſchate Phaſe, ſive Paſcha dicebantur, quæ Judæi in paſſione Chriſti comeſturi, ingredi noluerunt Pilati, utpotè ethnici, prætorium, ne contaminarentur, *patet Joan. 18. 28.*

Porrò hæc ipſa quatuor ſunt etiam apud Chriſtianos ſuo modo, id eſt, ut exemplaria illorum typorum. Nam Angelus tranſiliens, & occidens primogenita Ægypti, & ſalvans filios Iſrael, eſt Chriſtus magni conſilii Angelus, qui dum tranſiret de morte ad vitam, ſalvavit omnes, qui ejus ſanguine aſpergendi erant, relictis cæteris in manu vaſtatoris.

Agnus Paſchalis idem Chriſtus eſt pro nobis immolatus: F Chriſtum enim repræſentarunt Agnus, & Angelus, quia Chriſtus occidi, & occidere debuit; Agnus autem occidi poterat, ſed non occidere; Angelus occidere, ſed non occidi.

Tranſitus per mare rubrum, ſignificat tranſitum populorum per aquas Baptiſmi, & ideò in Paſchate ordinariè olim baptizabantur Catechumeni.

Denique, feſtus dies illorum, noſtrum feſtum diem figurabat.

ALLEGORIA.

Allegoricè agnus eſt Chriſtus, qui de morte tranſivit ad vitam, de terra in cœlum, ut nos à peccato ad gratiam, ab inferno ad cœlum tranſiremus.

Unde tropologicè, Phaſe, id eſt, tranſitum celebrat anima, cùm egreditur à cogitationibus Ægypti, id eſt, à molimine peccati, *inquit S. Auguſt. tract. in Joannem.*

Paſcha, *inquit S. Ambroſius lib. de Cain. c. 8.* tranſitus eſt à paſſionibus ad exercitia virtutis.

Et clarius *lib. 1. Hexameron, c. 8.* Paſcha Domini quotannis celebratur, hoc eſt animarum tranſitus à vitiis ad virtutem, G à paſſionibus carnis ad gratiam, ſobrietatemque mentis, à malitiæ, nequitiæque fermento ad veritatem, & ſinceritatem regenerationis.

---

* Paſquillus, ſive Paſquinus.

Quid ſit illius ſimulachrum, Uſus, & Abuſus.

PAſquillum, ſive Paſquinum vocant ſtatuam marmoream, mutilam, naribus, brachiis, & tibiis truncatam, quæ Romæ ad angulum viæ cujuſpiam regiæ ante Ædes, quas ab annis CC. circiter Franciſcus de Urſinis conſtruxit, collocata eſt. Quem autem repræſentet, dubitatur. Plures in hoc conveniunt, gladiatoris eſſe ſimulachrum, niſi malueris Martis, aut militis cujuſpiam, eo enim geſtu corporis manet, quaſi ferire volentis, ac ſubter ſe marmoreum aliud mutilatum truncum, H ſeu fragmentum habet alterius ſimulachri, ut hoſtem eſſe pro comperto habuerimus, quo cum is dimicaret.

Ferunt nonnulli, hoc eſſe mulachrum unius ex ducibus præcipuis Alexandri Macedonum regis, qui etiam Paſquini nomine vocitatus ſit, quod innuit auctor quidam, qui vetuſta Urbis marmorea, & ænea ſimulachra typis excudit.

Uſus autem hujus ſive termini, ſive ſtatuæ eſt, quòd ſit unà cum Marforio velut clandeſtinus internuntius omnium, etiam quæ remotis arbitris fiunt à quovis Prælato, aut Principe in Urbe, ſic, ut etiam minutiſſima evulgent, idque in hunc modum. Quippe homines quidam, aut ex genere circumforaneorum minorum, vel eorum qui aliorum dicta, factaque ſcrutantur, ſi quid aut ſuſpicentur futurum, aut factum, dictumque, ſive à Pontifice, Cardinalibus, ſive ab Aulicis, Principum Oratoribus, aliiſve præter vulgarem opinionem, illico ſatyram, aut dicterium, frequenter tamen cum acumine, & venuſtate ſcripto concipiunt, quod Paſquini ſtatuæ affigunt, ut ita à tranſeuntibus legantur, & in publicum occultiſſima quæque deveniant, idque plerumq; non

non abſque privatorum contumelia, & opprobrio, ſunt enim A inſtar libellorum, quos famoſos vocamus.

Quare quòd toties in hac ſtatua laceraretur, indignatus eſt Adrianus Pont. eamque demoliri, & in Tiberim coniicere cogitabat, at negabat id facto fore utile Ludovicus Sueſſanus. Dicebat enim: Paſquillus etiam ranarum more in imo vado non erit tacitus. Ergo, inquit Pont. exuratur in calcem. Rectè id quidem, inquit Sveſſanus: ſed tam crudeliter necato Poetæ clientes non deerunt, qui Patroni cineres invidioſis carminibus proſequantur, ſupplicii locum quotannis concelebrent, quibus verborum luſibus Pontificis mentem ſedavit. *Pontanus Beyerlinck in apopht. Chriſt.*

Non ineptè itaque quiſpiam conſpicatus Paſquillum, tanquam clandeſtinum internuntium, minuta quæque aulicorum delicta ſuo dorſo exhibere legenda, dixit: Cùm hic loquendi libertas adempta ſit; mirum, lapideis ſtatuis, cuncta etiam occultiſſima enuntiantibus, obturari non poſſe. *Phil. Camerar. c. 66. Medit. hiſtor. Beyerlink ſuprà.*

Paſſio.

B * DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAſſionem conſideramus, ut eſt qualitas, & affectio quædam, quam Græci vocant Πάθος *Cicero 3. Tuſcul.* perturbationem, ſeu ægritudinem animi. Auguſt. animi paſſionem. Platonici, & Ariſtotelici, motionem animi appellant. Et licèt Paſſio generaliter definiatur per illationem actionis ſecundùm *Gil. Porret. lib. 6. princ.* quomodo idem eſt, quòd ſuſtinentia, tamen in præſenti accipitur pro qualitate, ſive perfect, aquam dicunt qualitatem paſſivam, & tertiæ ſpeciei logicæ: ſive imperfectam, quam paſſionem propriè vocant, uno ſenſu exteriore perceptibilem. Talia ſunt calor, frigus, calores, odium, amor, gaudium, ira, cupiditas, & ſimilia.

* DUPLEX.

Ariſtoteles *l. 2. de anima c. 5. Text. 57.* ponit duplicem paſſionem, unam, quæ fit ſecundùm qualitates ad interitum ducentes, quæ corruptiva appellatur, ut cum quidpiam exſiccatur, aut calefit. Alteram, quæ fit receptio alicujus, quod incolumitatem, & perfectionem adfert, quæ Perfectiva nun- C cupatur, ut cùm potentia actum aliquem ſibi maximè convenientem promit. v. g. contemplationem. Quamvis Paſſionem poſterioris generis propriè eò nomine appellandam non eſſe contendat, quia neque pati, neque alterari quidpiam uſitato nomine dicitur, niſi quod diſponit, ad interitum, aut noxam patitur.

* VARIÆ CIRCA EJUS SUBIECTUM SENTENTIÆ.

Stoici negabant hominem ſapientem eſſe poſſe ſubjectum paſſionibus, aſſerentes in eum has cadere nullo modo poſſe: unde ἀπαθῆ ſapientem dicebant, quaſi impaſſibilem, talemque ejus animum, qualis eſt mundus ſupra Lunam, ſcilicet imperturbatum, quem nulla nubes, aut ventorum turbo obnubilet.

Verùm adverſus hos reclamat natura ipſa, unde Ariſtotelici, & Platonici dicunt Paſſiones in ſapientem cadere, ſed rationis fræno ſubiici, ac moderari. *Animum rege* dicebat ille, *qui niſi paret, imperat.*

Ad eum modum quo Deus ad Cain dixit *Gen. 4.* ſub te erit appetitus ejus, ſcilicet peccati: & tu dominaberis illius. q. d. potes per libertatem arbitrii, & gratiam tibi præparatam, D tuæ concupiſcentiæ, & invidenti appetentiæ tanquam mancipio dominari.

PASSIONES ANIMI MOTUM CONSEQUENTES,
Quas percipit ille, qui perturbatur, aut commovetur.

MORS EX

Gaudio.

☞ *Vide Titulum, Gaudio mortui.*

Noſtra ætate in Gallia, Uxorem Judicis vici Fezenſaci in comitatu Armeniacenſi, ſexagenariam, cùm amici nulla alia ratione à converſatione quorundam avertere poſſent, nunciari illi juſſerunt, properè ad filiam veniret jam animam agentem. Credula illa concito gradu venit: ſed filiam ſanam, & incolumem videns, repentè mortua concidit. *Laur. Joubertus lib. 1. de Riſu, cap. 11.*

Mœrore.

☞ *Sub Tit. eorum, qui Mœrore obierunt, effectus ipſius Mortis ſcilicet per hoc veluti inſtrumentum illatæ habetur ratio: hìc verò Cauſæ, ſive inſtrumenti.*

Timore.

Quidam natura timidus, audita Herculis fama, abdiderat ſe præ metu in ſpecum quandam: deinde cùm aliquando proſpectaret, & Herculem fortè fortuna prætereuntem vidiſſet, E immodico metu exanimatus eſt, ac protinus diriguit, in ſaxum verſus, quod adhuc viſitur ſpecie viri, velut à ſpecu proſpicientis. Unde τὴν παρακύπτουσαν: ſaxum illud vocant. *Suidas, & Zenodotus.* Inde natum proverbium, Timidiores proſpiciente. *Eraſmus in Adagiis.*

MORBI EX PERTURBATIONE.

Hercules ob nimiam bilem ſacro morbo fuit obnoxius. C. Mario VII. Conſuli cùm quidam nunciaret ea, quæ apud mare contra Mithridatem à Sylla facta erant, novis timoribus perculſus, partim futura timens, partim tanquam præſentium vulnere malè affectus, paulò poſt exilium reſtitutus, ut Poſſidonius philoſophus ſcribit, in malam valetudinem incidit, ex qua periit. *Joan. Gerundenſis libro 8. Paralip. Hiſpaniæ.*

Carolus Burgundiæ dux ad Granſonium re cum Helvetiis infeliciter geſta contriſtatus in ægritudinem incidit: quæ tanta fuit, ut aucta bile, & calore naturali, cogeretur à vino abſtinere, & uti pharmacis refrigerantibus. Ea verò triſtitia ſic deinde prorſus immutavit ejus naturam, ut contraria eſſent adhibenda pharmaca, quibus priſtinum calorem recuperaret. *Phil. Cominæus lib. 7. Comment.*

VIGILIÆ.

☞ *Vigilias hìc Animi vehementem agitationem conſe-* F *quentes perpendimus. Quæ ipſæ alioqui inter Corporeas paſſiones quoque referri debent. At Vigilantia, ſtudio, & voluntate ſuſcepta, inter Inſtrumenta ſecundaria ſuo loco connumerabitur. Ob ſtudia.*

Ariſtophanis, & Cleanthis lucerna propter inſignem ſtudii diligentiam in proverbium abiit: ut is ad Ariſtophanis, aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui ſummo ſtudio, exquiſitaque cura ſingula penſitat. *Varro lib. de lingua Latina 1. Eraſmus in Adagiis.*

Cicero L. Murænam, quem accuſavit Caro, defenſurus, totam noctem lucubravit, dum Hortenſium contendit, cujus mirè placuerat oratio, ſuperare: ut præ nimia ſolicitudine, & vigiliis ita affecerit valetudinem, ut concedere illi videretur. *Plut. in Cicerone.*

Ob Gaudium.

Artaxerxes Perſarum rex, cùm Themiſtocles ſupplex ad G ſe veniſſet, noctu ter evigilans exclamavit; Themiſtoclem habeo. *Plut. in Themiſtocle.*

L. Sylla à bellis inteſtinis Italia purgata appropinquavit primum urbi, ab ingenti gaudio, & gratulatione ſicut aura animo evectus, ſomnum tota nocte non vidit: quod de ſeipſo ſcriptum reliquit in Commentariis. *Plut. an ſeni tractanda. Reſp.*

Ob Metum.

Regi Indorum interdiu dormire non licet, nocte cogitur cubilia per horas mutare, idque propter inſidias. *Strab. lib. 15.*

C. Marius VII. Conſulatu ſuo L. Syllæ proſperis contra Mithridatem ſucceſſibus territus, vigiliis nocturnis agitari cœpit, cùm vocem incertam ſubinde ſibi videretur audire, Dura ſunt leonum cubilia. Cui malo uti mederetur, ad intempeſtiva ſeſe pocula convertit. *Plut. in Mario.*

Ob Æmulationem.

Themiſtocli Miltiadis trophæa ſomnum excutiebant. *Plutarchus.*

SOPOR, OBDORMITATIO.

☞ *De Sopore idem quod de Vigilia judicium, diverſo reſpectu ad diverſas claſſes referendo.* H

Diſcipuli Jeſu Chriſti noſtri præ mœrore in Oliveti monte obdormivere. *Matth. 26.*

LASSITUDO. PRURITUS.

☞ *Mœrori hoc quoque, & Curis accidere interdum ſolet, pro corporis, ſcilicet, diſpoſitione opportuna, ut membrorum laſſitudo, & cutis pruritus oriatur.*

SYNCOPE, MENTIS defectus,
Animi deliquium.

Saul rex Iſraelitarum ubi à Samuelis ſpectro imminens exitium ſibi, & exercitui cognovit, exanimis concidit, nec niſi multa Pythoniſſæ cura animum recepit. *1. Reg. 28. 22.*

Eſther regina cum duabus pediſſequis ad regem Artaxerxem profecta, cùm eum in ſolio ſublimem conſpexiſſet, majeſtate territa, & animo delinquens concidit. Rex accurrens, eam ulnis excepit, & ſecuram eſſe juſſit. *Eſther. 5.*

Achior Ammonitarum dux, conſpecto Holofernis capite, quod Judith retulerat Bethuliam, animo deficiens, præ ſtupore in media concione concidit. *Judith. 14.*

ANDRO-

ANDROMACHE iliad. χ. cùm de turri videret raptatum A ab Achillis curru Hectorem maritum?

τὴν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν.
ἤριπε δ' ἐξ ὀπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσε

In ſeditione illa agraria, in qua ab Opimio Coſ. cæſus eſt C. Gracchus, dum Aventinum cum ſuis peteret, ſolo pugione accinctus, ac exeuntem accurrit apud januam uxor LICINIA, tenenſque una manu illum, altera puerum, uti maneret, obſecrabat. At Cajus ſenſim amplexibus ejus laxatis proceſſit tacitus cum amicis. Illa cùm arripere togam ejus anniteretur, humi delapſa diù ſine ulla voce jacuit: quoad animo defectam ſuſtulerunt ſervi, & ad Craſſum fratrem deportaverunt *Plut. in Cajo.*

CORNELIA Scipionis F. Cn. Pompeii uxor, Mitylenen ſecuritatis gratia traducta fuerat cum filio, bello civili: quæ ex nunciis, & ſcriptis ad gratiam ex decreto ad Dirrachium bello unum ſperabat reliquum eſſe Cæſaris confectationem. Poſt aciem Pharſalicam miſſus ad eam à Pompejo nuncius non ſuſtinuit eam ſalutare: verùm pleraque, ac maxima mala lachrymis magis, quàm voce exprimens, monuit eam ut maturaret, modò aſpicere Pompejum una, & aliena navi velit. Quibus nunciatis illa abjecit ſe in terram, diùque de mentis B ſtatu dimota, & muta jacuit. Vix tandem recepta mente intelligens non eſſe lamentationum, & lachrymarum tempus, ad mare media urbe decucurrit. *Plut. in Pompejo.*

CORDIS PALPITATIO.

Iliad. η. HECTORI ſingulari certamine contra Ajacem pugnaturo cor palpitat, cum ſplendidis armis in campum deſcendentem videret:

Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν.

METE Ω. PICMOC. RAPTUS

CORPORIS in ſublime.

MARIAM Magdalenam, cùm in ſolitudine ageret, ſtatis diei horis ſupra cœlum ab Angelis evectam tradunt. Aſſidua Dei meditatio prius carnem ipſius cœlo dignam fecerat, quàm terrena labe liberam. *Marul. lib. 2. c. 4.*

MARIAM Ægyptiacam, quæ urbanæ luxuriæ mollitiem eremi aſperitate fregit, Zoſimus Abbas orantem, corpore ſuprà terram ſuſpenſo altitudine fermè cubitali, vidit. *Ibidem.*

THOMAM Aquinatem, dum de Deo diù, multumque cogitat, à ſolo attolli, & altitudine ferè cubitali in aere pendere C viſum ferunt. Neque deinde tantæ contemplationis fructum diſſimulare potuiſſe, vultu prodente jucunditatem, quam intima conceperant præcordia. *Ibidem.*

D. STEPHANUS Ungarorum rex cùm nocte intempeſta in divinitatis contemplationem abreptus eſſet, corpus evectum in aera mentem ſubſequutum dicitur. Quin & tabernaculum ipſum, ne vehementiſſima contemplatio interciperetur, ſimul tractum, in aere diu pependiſſe tradunt. Cum patefactum cuidam ſancto viro miraculum intellexiſſet, interminatus eſt, ne quid de hac re ſe vivente proderet. *Bonfinius lib. 1. Dec. 2.*

Cubicularius Ungariæ regis LADISLAI ad poſtes templi præſtolans, ac nimio moræ tædio affectus, repetita baſilica, vidit regem divina contemplatione ita ſubtractum, ut in aere penderet. *Bonfinius lib. 4. Dec.*

CALOR

Auctus.

Apud Theocritum Idyllio 14. CYNISCA in compotatione triſtis ſedens, Lyci amore correpta, cùm quidam per jocum D illam alloqueretur.

—— οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες.
Non loqueris; Lupum vidiſti?

illa ad nomen Lici commota eſt,

κἤφθα, εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις.

& incenſa, ut facilè ab ea lucernam accendere potuiſſes.

Imminutus.

☞ *Ut in Timore perculſis, quibus frigidus ludit circum præcordia ſanguis.*

TREMOR, HORROR.

TROJANI cùm fulgentibus armis coruſcum Ajacem viderent in campum deſcendentem, regi ſuo Hectori, cum quo ille ſingulari certamine depugnaturus erat, metuentes, tremebant:

Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον.

CICERO non modò in bello timidus erat, ſed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in cauſis vix tandem horrere, & tremere medio deſinebat ardore, & ſtatu orationis. Cùm Clodium occidiſſet Milo, & ſenatus juſſu Cn. Pompejus, ad ſecuritatem urbis, & judiciorum, ante lucem ſumma fori cum armatis inſediſſet: metuens Milo, ne E ſpectaculo inſolito Cicero territus minus rectè cauſam diceret: perſuaſit ei, ut lectica delatus in forum quieſceret, dum convenirent judices, & frequens eſſet corona. Ad judicium lectica delatus, & Pompejum contemplatus locis ſuperioribus velut in caſtris conſidentem, atque circumfulgens undique armis forum: obſtupuit, & orationem ægrè cùm tremore corporis, & linguæ hæſitantia exorſus eſt: cùm Milo ipſe forti animo, & celſo præſto eſſet certamini, nec capillos demittere, vel ſumere atram veſtem ſuſtinuiſſet, quod maximum momentum feciſſet apparet ad ejus damnationem. Cæterùm Cicero ex eo anxius potius de ſalute amicorum fuiſſe, quàm timidus habitus eſt. *Plutarch. in Cicerone.*

CAROLUS V. Imperator bellicoſiſſimus cùm arma indueret, horrore perfundebatur. In ipſo agone nemo erat illo cordatior, *Zenoccarus.*

EMACIATIO TOTIUS

ARISTIPPUS Olympiæ ab Iſchomacho ſermonum Socraticorum guſtum exiguum cum percepiſſet, ita fuit incitatus, ut corpore concideret, planèque pallorem, & maciem contraheret, quo ad Athenas ad Socratem navigavit. *Plutarchus de Curioſitate.* F

PALLOR faciei. EX

Studiis.

CHÆREPHON tragœdiarum ſcriptor Heraclidarum res proſecutus eſt. Quoniam autem nocturnis lucubrationibus erat majorem in modum extenuatus, confectuſque, macilentiæ, & palloris nomine taxatus eſt: ut de macilento, pallidoque diceretur vulgò, nihil differs à Chærephonte. *Eraſ. ex Suida.*

Et Perſii dictum eſt de Cornuto Philoſopho:

At te nocturnis juvat impalleſcere chartis.

Terrore.

MELIBOEA, & AMYCLA ſolæ ſervatæ ſunt ex Niobes, & Amphionis liberis, quoniam Latonam deprecatæ fuerant. Cæterùm illa præ terrore ſtatim viridis facta, ab eo calore poſteà nomen obtinuit, ut Chloris diceretur. Cujus ſtatua in Latonæ æde Argis viſitur, *Pauſanias in Corinth.*

Metu.

ARATUS Sicyonius inſtante prælio præ timore palleſcere ſolebat. *Plutarchus in Arato.* G

Cùm commiſſo inter Romanos, & Vejentes prælio nunciatum eſſet Tullo Hoſtilio Rom. regi Albanos deſciſcere, pallereque, & pavere Romanos ob eam rem videret, ipſe in re trepida templum vovit Pallori, & Pavori. *Lud. Vives in lib. 4. Auguſt. de Civit. Dei cap. 23.*

Juvenalis in Satyris, pallorem metus, & conſternationis comitem tribuit Rhetoribus, qui ad Araris, & Rhodani confluentem litterario certamine olim, ara ibi dicata Jul. Cæſari, decertabant, inquiens:

Palleat, ut nudis qui preſſit calcibus anguem.
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Nam ſi victi eſſent, vel ſcripta ſua lingua delere cogebantur, vel in vicino flumine mergi.

RUBOR faciei.

Diogenes Cynicus philoſophus, Adoleſcenti cuidam erubeſcenti, atque ob id perturbato: Bono animo eſto, inquit, fili, iſtiuſmodi eſt virtutis tinctura. *Laetius in ejus vita.*

Cato major Juvenes placere ſibi ait potius eos, qui erubeſcerent, quàm qui expalleſcerent. *Plut. in Apoph.* H

OCULORUM

Squalor, Concavitas

☞ *Qualis ex multis Vigiliis, Curis. Triſtitia provenire conſuevit.*

Ardor, Radiatio.

Edovardus I. Anglorum rex facie venuſta, oculis ſubnigris fuit, qui, dum ira inflammabatur, ſubitò ſubrubri efficiebantur, ac inde ignem emittere videbantur. *Polydorus lib.....*

AURIUM TINNITUS.

Plinius teſtatur, vulgò quandoque creditum fuiſſe, ut qui laudaretur abſens, ei dextra tinniret auris: qui vituperaretur, ſiniſtra. *Eraſmus in Adagiis.*

Caſus.

☞ *Ex metu, & terrore interdum, & tunc hujus eſt loci.*

Canities.

☞ *Hæc inter Corporis paſſiones referenda, per ſe conſiderata. At reſpectu Cauſæ, hujus eſt loci.*

ORIS

ORIS MADOR.

A ☞ *Ex vehementi deſiderio cibi, quod aſpectu aliorum comedentium, magis magiſque excitatur, aqua os repleri ſolere, experientia docet. Unde Germanis proverbium, Das Maul Maſſer Ihm Darnach.*

GENUUM EXSOLUTIO.

☞ *Ex vehementi affectu raptis ad ſuum principium ſpiritibus extrema tremunt, & deſtituta ſuo calore exſolvuntur. Licèt id in vehementi timore, & mœrore, ſed & gaudio vivere.*

Claudius, occiſo ab conjuratis Cajo, præ metu latebras petiit. A militibus juventus, & protractus, pedibus conſiſtere nequibat. Itaque ſublatum in humeros in Prætorium extulerunt, & Cæſarem fecerunt. *Suetonius.*

PASSIONES, QUAS EX ANIMI MOTU

Quis ſibiipſi infert.

CORPORIS IN GENERE.

Vulnera, Laniatio, Sciſſio.

☞ *Sub loco juſtitiæ religioſæ, & ſuperſtitionis, Flagellationem perpende.*

Iſraelitis in funere corpora lacerare, aut ſinciput decalvare nefas erat, Domini interdicto: eò quòd ſacer Deo populus B eſſet, & ab eo electus præ omnibus totius orbis nationibus *Deut. 14. & Lev. 19.*

Sunt inter Barbaros, qui ſe membris aliquibus mutilant, naribus, auribus, ac corpus reliquum flagris cædunt: quòd defunctis, ſi à moderatione in hiſce ægritudinibus naturali diſceſſerint, rem gratam ſe putent facere. *Plut. in conſol. ad Apol.*

Cultus, Ablutio.

Romanæ matronæ Idib. Auguſti maximè tergere, & mundare corpus ſtudebant, imitatione fortè ancillarum, quibus is dies propter Servii Bullii regis è ſerva nati natalis feſtus erat, ne illis minus comptæ forent. *Idem in quæſt. Rom.*

D. Auguſtinus tumulata matre Monica, doloris abſtergendi cauſa lotum abiit, quòd Græco βαλανεῖον, ab anxietate ex animis pellenda appellaſſe audiret: ſed parum profuit, *Teſtis ipſemet lib. 9. Confeſſ. c. 12.*

Contectio, Denudatio.

Perſarum inſtituto nudum conſpicere hominem, ac ſi immane ſcelus admiſſum foret, capite luebatur. *Alex. ab Alex.* C *lib. 2. cap. 25.*

Δωριάζειν olim dicebantur, qui corpore parum decorè nudato incedebant: ductum à Virginibus, quæ in Peloponneſo diſtinctæ, & abſque tunicis eſſe conſueverant, tantum pallio tectæ utrimque feneſtrato, per quod patebant nuda corporis, *Eraſmus in Adagiis.*

Panthei Lacedæmonii uxor, virum ſecuta in Ægyptum, quò is cum Cleomene ſe receperat, poſt viri mortem, cùm Ptolomæus ipſam quoque cum cæteris Lacedæmoniis mulieribus, quæ illic erant, occidi juſſiſſet, prius quàm occideretur, veſtem diligenter pedibus obvolvit, omnemque aliam corporis partem texit, nudo jugulo relicto: ut honeſtè cadens, pudorem, quem per omnem vitam ſervaverat, inviolatum relinqueret. *Plut. in Cleomene.*

Candidatis Romæ moris erat in toga, ſine tunica, ut tradidit Cato, prenſare, ne ad nundinandum in ſinu pecuniam ferrent. *Plut. in quæſt. Rom.*

Translatio de loco in locum.

Apud Rom. Sponſa à deductoribus ſublata, ſupra ædium D limen transferebatur. Fortè quòd primæ uxores raptu paratæ non ingreſſæ, ſed in domum illatæ fuerint, *Plut. in quæſt. Rom.*

CAPITIS.

Apertio, denudatio. ☞ *Vide Locum de capite.*

Obvolutio, Tectio.

Agamemnon, cùm videret ad mactationem duci filiam Iphigeniam, averſo, velatoque vultu lachrymas profundit, *Apud Euripidem* Iphigenia Aulidenſe.

ἀνεστέναξε, κἄμπαλιν στρέψας κάρα,
δάκρυα προῆγεν, ὀμμάτων προθεὶς.

Quod ipſum Timanthes pictor imitatus videtur *apud Plin. lib.* 15. c. 10.

Cùm Statyra Darii Perſarum regis uxor ab Alexandro capta ex partu periiſſet: & Tyreus ex intimis Eunuchis unus nuncium mortis ejus Dario attuliſſet: is diù velato capite manibus ad os reductis, amantiſſimæ conjugis deflevit interitum. *Sab. lib. 5. Ennead. 4.*

Athenis Ephialtes inter cæteros Demonſtrati nomen deferre cogebatur. Habebat hic puerum Democharem ab Ephialte ob eximiam formam adamatum. Qui cùm ad Ephialtem mitteretur, orans, ut patris criminibus parciùs inſiſteret, genibus ſuis advolutum intueri non potuit: ſed operto capite E flens, & gemens preces expromere paſſus: nihilo minus ſincera fide accuſatum Demonſtratum damnavit. *Val. Max. l. 3. cap. 8.*

Timoleon Corinthius fratrem Timophanem civitatis cuſtodiæ præfectum, tyrannidi inhiantem, amicis interficiendum tradidit: ſed interim paululùm à fratre recedens, obvoluto capite lachrymabundus conſtitit. *Plut.*

Xenocrita ab Ariſtodemo Cumanorum in Italia tyranno adamata præ cæteris, quodam die illum advenientem conſpicata, pudoris prætextu obvelavit vultum. Poſteàquam diſceſſiſſet, adoleſcentes per riſum quæſiverunt, quid ſolum præverecundia declinaret Ariſtodemum? Tum illa: nam ſolus inter Cumanos vir eſt. Hac voce icti juvenes, ad liberandam patriam ejuſdem auxilio animos recepere. *Plutarchus de virtutibus mul.*

Rom. Honori revelato capite ſacrum faciunt: quia res eſt clara gloria, ſplendidaque, & aperta. Qua de cauſa etiam bonis, & ornatis viris adaperiunt caput, ac proinde conſecratum honori Deum ita adorant. *Plut. in quæſt. Rom.*

A. Gellius Noct. Attic. 8. cap. 4. ſcribit, Servos eos venire ſolitos pileatos, quorum nomine venditor nihil præſta- F ret. Ejus rei Cœlius Sabinus Jureconſultus hanc fuiſſe cauſam ſcribit, quòd ejuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendendo deberent, ut emptores errare, & capi non poſſent, neque lex vendendi operienda eſſet, ſed oculis jam perciperent, quodnam eſſet mancipiorum genus. *Eraſmus in Adagiis.*

C. Caſſius poſt Philippicam cladem deſperatis rebus, chlamyde obvoluto capite cervicem apertam præbuit Pindaro liberto, quem ex Craſſi clade ad hanc neceſſitatem ſecum habebat deſtinatum, præſcindendam. *Plut. in Caſſio.*

Scalptus, Frictio.

Τρίψις κεφαλῆς, Capitis frictio, indicium animi dubii, & perturbati. Cicero ubi inducit L. Piſonem reprehendentem C. Cæſarem cupidum triumphi, meminit Scribæ, caput ſiniſtra manu perfricantis: indicans perturbatum illum, incertique animi fuiſſe. Item Æſchines oratione contra Legatos ad Philippum Demoſthenem caput fricaſſe ait, ſollicitudinem animi, moleſtiamque nota indicans. *Victorius lib. 8. cap 6. Variarum.* G

Lucianus in Rhetorum præceptore, deliciis effœminatum Hominem deſcribit, his verbis: ἐν τούτοις δὲ πάνσοφόν τινα, καὶ πάγκαλον ἄνδρα διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελίχρον τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα, τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον, id eſt, Inter hæc autem virum quendam egregiè ſapientem, atque inſigni forma, lubrico inceſſu, fracta cervice, muliebri aſpectu, voce mellita, olentem unguenta: caput ſummo digito ſcalpentem.

Eraſmus in Adagiis.

Inſperſio.

☞ *Conſule Tit. Pœnitentiæ religioſæ.*

Qui triſte aliquid nunciarent, ſciſſa veſte, & capite pulvere conſperſo dolorem ſuum teſtabantur apud Iſraelitas. Sic 1. *Reg. 4. & 2. Reg. 1.*

Morem in luctu graviſſimo antiquitùs, calamitateque ingenti, caput cinere conſpergere, ſive pulvere deturpare, Homerus non uno in loco teſtatur: *ut Odyſſ. ω.*

ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κακκεφαλῆς πολιῆς ἀδινὸν στεναχίζων. *id eſt.* H
Ambabus manibus capiens pulverem exuſtum
Cinerem, inſperſit capiti cano, miſerè ingemiſcens.

Et Iliad. 18. idem locus, de Achille. *Eurip. in ſupplicib.*

ἀμφὶ δὲ ὑποδὸν κάρα κεχύμεθα.

Ejuſdem rei mentio *apud Virgil. lib.* 10.

Canitiem immundo deformat pulvere.

Alliſio.

☞ *Conſule Tit. Capitis alliſione mortui. Illic ut cauſa eſt Mortis, hìc ut Impotentis animi nota.*

Petrus de Vineis Capuanus I. C. à Friderico Imp. propter conjurationis ſuſpicionem relegatus, capite parieti ſæpè illiſo ſeipſum necavit. *Volat. lib. 23. Anthrop.*

FACIEI.

Abſterſio, Expiatio.

Frontem abſtergere, ſuperſtitioſos olim ſolitos, natum eſt ex 2. *Satyra Perſii.*

frontemque

frontemque, atque uda labella
A *Infami digito, & luſtralibus antè ſalivis Expiat.*

E ſimili ſuperſtitione profectum eſt, quod indicat *Athenæus lib.*1. priſcos ad depellenda mala ſolitos ter abſtergi. Refert verſiculum hunc Cyrenæi:

τρὶς δ᾽ ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον. *id eſt,*
Ter verò abſterſis, melius bona numina donant.

Eraſmus in Adagiis.

Denudatio, Contectio.

Apud Spartanos, ut aperta facie virgo, ſic convelata nuptæ in propatulo viſebantur. (Hinc fortaſſis Homerus Helenam, utpote Spartanam, paſſim τανύπεπλον vocat) Cujus eam Charilaus reddebat rationem, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας quoniam virginibus viros ſibi proſpicere, neceſſarium ſit: mulieribus autem, quos compararint, cuſtodire. *Cœlius lib.*13.*c.* 6. *Antiq. lect.*

Tradente Harpocratione in Lexico Atticorum oratorum, ἀνακαλυπτήρια appellabantur apud Græcos, munera, donaque, quæ darentur à ſponſo novæ nuptæ, ut illa pateretur ſe videri, faciemque detegeret: cùm conſuetudo temporum eorum eſ-B ſet, ut adhuc eſt quarundam gentium, ut virgines vultum velo tegerent, nec poteſtatem alicui ſpectandi ſe facerent. *Victorius lib.*27. *var. lect. c.*3.

Chalcedoniarum mos eſt, ſi quando inciderint in viros alienos, præſertim eos, qui honores gerunt, ut alteram maxillam obnubant, ob hanc cauſam. Bellum his contra Bithynios erat, quòd ex quavis concitarentur occaſione. Cùm autem regnum apud eos ageret Zipœtes, omnibus copiis ſuis, adjunctiſque ex Thracia auxiliaribus, igni, & ferro regionem vaſtabant. Qui adorto eos apud Phalion appellatum Zipœte, ob ferociam, & aciem incompoſitam malè pugnaverunt: quo in prælio plus octo millia militum deſideraverunt: non tamen ad internecionem tunc ſunt cæſi, quòd Zipœtes in Byzantinorum gratiam fœdus cum eis fecerit. Cæterùm quia magna infrequentia virorum civitas laborabat pleræque mulieres neceſſariò libertinis, & incolis matrimonio ſe junxerunt. Aliæ, quòd mallent ſine viris agere, quàm ejuſcemodi nuptias conciliare, per ſe procurabant, quæ apud judices, & magiſtratus opus erant, detrahentes ex altera faciei parte velum. Quas C nuptæ ex pudore, ut ſe meliores imitantes, eundem modum uſurpavere. *Plut. in quæſt. Græcis.*

Exules Thebani Damoclidas, Palopias Theopompus, & alii, clàm Thebas veſper ingreſſi, accepta ex tempeſtate occaſione, ut faciem operirent, & ſine periculo tranſirent, Archiam tyrannum interfecerunt. *Plut. de Socr. dæm.*

Poppæ Sabianæ Neronis conjugis raros fuiſſe in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat, *Tacitus* tradit.

Nero hoſtis à Senatu judicatus, in ſuburbanum fugiens, media nocte equum conſcendit adoperto capite, & ante faciem ſudario obtenſo. Equo autem odore abjecti in via cadaveris conſternato, detecta facie agnitus eſt à prætoriano quodam. *Suetonius.*

Demulſio.

Plutarchus ſcribit, geſtum hunc peculiarem fuiſſe M. Tullio, ut dicturus læva faciem demulceret: eoque geſtu etiam cervicem percuſſori præbuiſſe, *in ejus vita.*

OCULORUM.

Conjectio.

D Apud Platonem Socrates dicturus de amore, ob pudorem oculos tegit, nimium alludens ad proverbium, Pudor in oculis. Hinc & poetæ Cupidinem, quòd ſit improbiſſimus, cæcum fingunt. *Eraſmus in Adagiis.*

PECTORIS TUNSIO.

Cleopatra victo ad Actium Antonio ab Auguſto præ mœrore pectus tundit, & exulcerat. *Plut. in Antonio.*

MANUS PROPRIÆ

Ablutio.

Pilatus coram Judæis manus ſuas abluit, hoc ipſo teſtatus, præter voluntatem ſuam Jeſum ſeſe Judæorum impulſu condemnatum. *Matth.*27.

Schiſmate durante inter Alexandrum III. & Victorem Pontifices, Frideric. I. Imperator, qui Victorem fovebat: Biſuntii, in Imperiali Burgundia, quòd videretur eſſe veluti in medio Germaniæ, Franciæ, Britanniæ, ſolennem indixit conventum, ut de vero Pontifice uno ſtatueretur. Contempſere evocationem illam reges Hiſpaniarum atque Angliæ: Franciæ verò Rex, quòd quidam ſuorum circumventus juraſſet regem venturum, venit quidem nocte, & in flumine ad urbis mœnia manus lavit, ſed retrò abiit, ſcilicet execratus con- E ciliabulum, quod Spiritus ſanctus non indixiſſet. Quippe de ſumma Eccleſiæ poteſtate conſtituere non ſæcularium eſſe principum, ſed ſacrorum Pontificum. *Crantz. l.*6. *Sax. c.*18.

Implexio.

Digitos manuum cancellatim, & veluti per ginglymum inſertos habere. Veteres ad cujuſvis actionis impedimentum facere credebant. Itaque cùm apud Ovidium Alcmenæ Herculem parturientis nixus confertis digitis ſedens eluderet, venefica, Hiſtoris Tireſiæ filia falſo nuntio peperiſſe Alcmenam clamitans, aſtum illius ſolvit. *Pauſ. in Bœoticis.*

Deoſculatio.

Divina (ut equidem reor) agente vi, fuit in adoratione veterum crucis figura ſummè religioſa: quoniam veneratione ſupplici, dum ori dextram admoverent indicem ſuper pollicem reſidentem (quod & tempeſtate hac ferè à pleriſque fit) exoſculabantur. Quod Plinius quoque ſignificaſſe videtur: In adorando, inquit, dextram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus. *Et in Apologia* item Apulejus: Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia ma- F num laboris admovere. Hinc factum opinantur, ut Hebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem pro veneratione deoſculationem ponant. *Cælius lib.*10. *cap.*8. *Antiq. lect.*

UNGUIUM PURGATIO.

VULTUS, Mena *apud Horatium:*

——vacua tonſoris in umbra
Curtello proprios purgabat leniter ungues.

PEDUM.

Denudatio.

Anno ſecundo Imperii Juſtiniani, ut Urſpergenſis ſcribit, Antiochia terræmotu concuſſa eſt. Tantus autem pavor occupavit populum, ut omnes preces facerent diſcalceati. Addit autem, pio cuidam, & Deum timenti homini revelatum, ut omnes ſignarent ædes ſuas hac inſcriptione: Chriſtus nobiſcum ſtate. Tandem verò terremotum quieviſſe. *Cedrenus.*

Alipius D. Auguſtini ſtudiorum aſſiduus comes, cum eodem ab baptiſmum venit Mediolani, indutus humilitate ſacramentis congrua, & fortiſſimus domitor corporis, uſque G ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum, inſolito auſu, *inquit D. Auguſtinus lib.*9. *cap.*6.

Poſitio.

Pythagorei in congreſſibus, & conſeſſibus hoc unicè cavebant, ne crus cruri ſuperimponerent, quòd id ſucceſſum ejus, quod ſuſciperetur, negotii impediturum videretur.

Obvolutio.

Cn. Pompejus cùm ulceris cauſa crus faſcia circumcinxiſſet, in affectati regni ſuſpicionem incidit. Erant enim qui affirmarent, nullam aliam ob cauſam crus ligaſſe diademate, quàm ut diadema ſibi adſcriberet, nihilque referre qua in parte corporis geſtaretur. *Plut.*

Olim, qui theſaurum parare ſtudebant, in eo nummum aſperum libenter recondebant, quem interpretor benè percuſſum, & recentem, non veterem, neque tritum, atque ipſo uſu lævem fugientibus notis, nec forma expreſſa: quo ſenſu illud Perſianum accipi cenſeo.

——quid aſper utile nummus habet.

Qui enim pecuniæ amantes erant, delectumque habebant, & nummo perfectiſſimæ, & expreſſiſſimæ formæ ſervabant, ac ne alios quidem accipere volebant, quod & in exactio- H ne tributorum plerumque, ut reor, obſervabatur. *Turneb. lib.*18. *c.*28.

Aurium amputatio, contactus, obturatio. ☞ *Vide.* AURIS.

CAPILLORUM. BARBÆ

Cultus, Evulſio, Raſio.

☞ *Quæratur Locus de Barba, & Capillis.*

Paſtor.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAſtor, Græcè ποιμὴν, propriè ovium paſtor, opilio, οἰῶν ἐπιμελητής: ideòq; Græca appellatio ab ὄις derivata putatur, dictumq; quaſi οἰμὴν. Parabolicè autē Chriſtus ſervator noſter ποιμὴν paſtor in Evangelio vocatur, ſicut πρόβατα ſinguli fideles, tritum alibi, tū Jo.10. nominātur. Deſignantur etiā hoc nomine Chriſti Vicarii, hoc eſt Eccleſiæ miniſtri, ut in Epiſtol. ad *Epheſ.*

*Epheſ. c.*4. qui oculi Chriſti cum poteſtate præficiuntur, ut A oves paſcant verbo, exemplo, & Sacramentis. Qua in ſignificatione hoc quoque loco ſumptum hoc vocabulum. Vulgarem enim acceptionem etiam uſurpamus, *in Loco de Ovibus. Tit. Opiliones.*

Paſtor. Hebr. *Rebbeh.* Inde (ut nonnulli opinantur) Rex, *Roy*, paſtor populorum *Robbeh* autem à verbo *Rabbabi* Pavit. *Rebbeh* amicus, ſodalis, ſocius, familiaris: ut & *Rabbah.* Greges paſcentes veluti, qui in ſodalitio vivunt.

PASTORITIÆ INVENTIO.

☞ *Pete ex Tit. de Inventione. Item Mechanicæ.*

* COMMENDATIO.

Poſt peccatum Adami, primus omnium hominum, qui juſtus, & innocens appellatur in Scriptura divina, fuit Abel. Et hic primus omnium fuit ovium paſtor, atque paſtoritiam artem multum cohoneſtavit. Sic ut omnes Patriarchæ deinceps, & populi principes eam exercerent.

Et notat *Varro lib.*1. *de re ruſtica.* Quod in animalibus oves primùm fuerint aſſumptæ ad paſcendum, tum quòd ſint natura placidæ, & manſuetæ: tum quòd ad tegendum corpus lanam, ad alendum lac, & caſeos producant.

B Eſt autem ars Paſtoralis omnium ſimpliciſſima, minimèque operoſa, vel artificioſa, nec ita animum hominis occupatum tenet, ut non ei etium relinquat ad meditationem rerum naturalium, divinarumque contemplationem: neque certis indiget domiciliis, aut ſtabiles, fixaſque ſedes exigit, ſed à peregrinantibus etiam tractari, & exerceri poteſt, ejuſque multiplex utilitas eſt ad humanæ vitæ, & divini cultus uſum. Suppeditat enim victum, & veſtitum, materiam item oblationum, & ſacrificiorum, quæ Deo fieri oportet.

Refert prætereà imaginem quandam regalis adminiſtrationis, & gubernationis: talem enim decet eſſe regem erga ſibi ſubditos, qualiter paſtor gregem ſuum regit: quapropter apud Priſcos illos, non aliter boni reges, quàm paſtores populorum vocabantur.

Quid plura? repræſentat hæc paſtorum ars, & exercitatio; Dei providentiam erga homines, præſertim autem erga electos: quamobrem Deus, & Chriſtus Dominus, gaudent paſtoris appellatione, eoque nomine frequenter in ſacris litteris nominantur. M. Varro ſcribit, ſummum gradum naturalem C fuiſſe, cùm alerentur homines iis, quæ terra nullo imperante, & nullis ſaucia vulneribus, aut pulſata roſtris ultrò procrearet (id in ſtatu innocentiæ fuit) ex hac vita poſteà ad ſecundum homines gradum eſſe progreſſos, commemorat, paſtoritiam, videlicet, vitam, ut qui priùs ex arboribus, virgultiſque glandem, arbutum, poma, & mara decerpiſſent victus cauſa; eandem deinde utilitatem, à ſylveſtribus animantibus captis, & manſuefactis peterent: tertio demum gradu, à vita paſtorali ad agriculationem homines tranſiſſe (fuit tamen in ipſo mundi principio & Cain agricola) in qua non pauca de ſtatu utroque præcedente retinuerint.

Anaſtaſius Sinaita notavit, etiam paſtum à Moſe fuiſſe gregem irrationalem, in typum paſcendi ab eodem aliquando rationalis.

Hieronymus idem obſervat, ſicut & Apoſtolos de piſcatione lacus Genezareth ad piſcationem hominum tranſiiſſe.

David de poſt fœtantes poſt evocatus ad regnum, ut paſceret Jacob ſervum Dei, cui quoque Deus dixit: Tu paſces populum meum Iſrael, eo ferè modò, qui piſcatores piſcium, fecit Chriſtus piſcatores hominum.

Verbo inſinuavimus, Chriſtum nullo nomine libentius ap- D pellari, quàm Paſtoris, ut conſtat *Joan.* 10. *Luc.* 15. & alibi, nullaque imago jam olim ſæpiùs repræſentata invenitur, quam Chriſti habitu paſtoris ovem humeris deferentis, ac teſtatur *Tertull. lib. de Pudic. c.*7. & 10. ſuo tempore in calicibus hujuſmodi imaginem cælari conſueviſſe.

P. Virgilius in Culice.

O bona paſtoris, ſi quis non pauperis uſum
Mentæ prius docta faſtidiat, & probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Aſſyrio fuerint bis lota colore
Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri
Sublaqueare domus animum non tangit avarum:
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent, Boetique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio eſt: at pectore puro
Sæpe ſuper tenero proſternit gramine corpus,
Florida cùm tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci diſtincta coloribus arva:
Atque illum calamo lætum recinente Paluſtri, E
Otiaque invidia degentem fraude remota,
Pollentemque ſibi viridi cum palmite lucens
Tmolia, pampineo ſubter coma velat amictu.
Illi ſunt gratæ rorantes lacte capellæ.
Et nemus, & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat eſſe beatior ævo,
Quàm qui mente procul pura, ſenſuque probando,
Non avidas agnovit opes, non triſtia bella,
Nec funeſta timet validæ certamina claſſis?
Non ſpoliis dum ſancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem tranſcendat habendi,
Adverſùm ſævis ultro caput hoſtibus offert.
Illi falce Deus colitur, non arte politus:
Ille colit lucos, illi Panchaica thura,
Floribus agreſtes herbæ variantibus adſunt?
Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas,
Libera ſimplicibus curis: huc imminet, omnes
Dirigit huc ſenſus; hæc cura eſt ſubdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet, F
Jucundoque levet languentia corpora ſomno.
O pecudes, ò Panes, & ò gratiſſima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Æmulus Aſcræo paſtor ſibi quiſque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.

STUDIUM.

De Antiquis illuſtriſſimus quiſque paſtor erat, ut oſtendit Græca, & Latina lingua, & veteres Poetæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας: qui ipſas pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt: ut Argis Atreus, quam ſibi Thyeſtem ſubduxiſſe queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Lybia ad Heſperidas, unde aurea mala, id eſt, ſecundùm antiquam conſuetudinem, capta, & oves, quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim ſua voce Græci appellarunt μῆλα. Nec multò ſecus noſtri ab eadem voce, ſed alia litera, bela vocarunt, non enim ME, ſed BEE ſonare videntur oves vocem efferentes: à quo bellare di- G cunt extrita litera. Quòd ſi apud antiquos non magnæ dignitatis pecus eſſet, in cœlo deſcribendo Aſtrologi non appellaſſent eorum vocabulis ſigna: quæ non modò non dubitarunt ponere, ſed etiam ab his principibus duodecim ſigna multi numerant: ut ab ariete, & tauro, cùm ea præponerent Apollini, & Herculi: ii enim dii ea ſequuntur: ſed appellantur Gemini. Nec ſatis putarunt, de duodecim ſignis ſextam partem obtinere pecudum nomina, niſi adjeciſſent, ut quartam tenerent, capricornum. Prætereà à pecuariis addiderunt capram, hœdos, canes. An non etiam item in mari, terraque ab his regiorum notæ? à pecore in mari, quod nominaverunt à capris Ægeum pelagus: ad Syriam, montem Taurum: in Sabinis Canterium montem: Boſphorum, unum Thracium, alterum Cimmerium. Nonne in terris multa, ut oppidum in Græcia Ἵππιον Ἄργος: Denique Italia à vitulis, ut ſcribit *Piſo.* Romanorum verò populum à paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutricium, qui Romulum, & Remum educavit? non ipſos quoque fuiſſe paſtores obtinebit, quòd Palilibus potiſſimùm condidere urbem? non idem, quòd multa etiam nunc ex vetere inſtituto bobus, & ovibus H dicitur? Et quòd æs antiquiſſimum, quod eſt flatum pecore, pecore eſt notatum? Et quòd urbs cum concita eſt, tauro, & vacca, qui eſſent muri, & portæ, definitum? Et quòd populus Romanus cùm luſtratur, ſuovitaurilibus circumaguntur veteres, aries, taurus? Et quòd nomina multa habemus ab utroq; pecore, à majore, & à minore? A minore, Porcius, Ovinius, Caprilius: ſic à majore Equitius, Taurus cognomina adſignificari. Quòd dicuntur, ut Annii Capræ, Statilii Tuari, Pomponii Vituli: ſic à pecudibus alii multi. *Varro lib.*2. *c.*1.

Lege Priſca ſtatutum erat, teſte Androtione, uti ne è grege centum capita habente pecudem intonſam, aut nondum effœtam mactarent, quod gregis augendi gratia ſervabatur. Idcircò eas, quæ jam adultæ eſſent, comedebant. *Apud Homerum.*

Namque proci ſuibus veſcuntur pinguibus ipſi.

Ac nunc etiam inter Palladis ſacrificia neque agna mactatur, neque guſtatur caſeus. Cùm per tempus quoddam boves ſedeciſſent, ait Philochorus, lege ſancitum fuit, ut omnes à bobus abſtinerent propter eorum penuriam, cùm iis non ma-

ſtantes rurſus abundare ſtuderent. *Athenæus lib. 9. cap. 5.*

Ad Agenoris lucum compellunt oves Argivi, atque iis ibi admiſſuram dant. Quoniam ovium Agenor optimè curam egit, atque inter reges plurimos habuit reges. *Plutarchus in Quæſtionibus Græcis.*

Q. Ful. Lupinus in Tarquinienſi ſepta habuit jugera quadraginta venationis, ubi lepores, cervi, capreæ concludebantur. Cn. Pompejus in Gallia Tranſalpina tantùm habuit ſeptum venationis, ut circiter quadraginta millia paſſuum locum incluſum ſubiret, *Varro lib. 3. de re Ruſtica.* In fundo Tuſculano, quem M. Terentius Varro emit à M. Pupio Piſone, ad buccinam inflatam certo tempore apri, & capri conveniebant ad pabulum: cùm à ſuperiore loco è palæſtra offunderetur apris glans, capris vicia.

In agro Laurente Q. Hortenſii theritrophum erat, ſylva ſuprà quinquaginta jugerum maceria ſepta. Ibi erat locus excelſus, ubi cœnari poterat. Ibi citharœdus, quem Orphea vocabant, ſtolatus canere juſſus, buccinam inflavit, & ingens cervorum, aprorum, & cæterarum quadrupedum circumfluxit multitudo. *Varro lib. 3. de Re ruſtica.*

Alexander Stuart, Comes Marriæ, ſub Jacobo primo Scotorum rege, ex Hungaria coemptos præſtantiſſimos equos in Scotiam tranſportavit. Unde factum eſt, ut cùm anteà exiles equi tantùm ibi reperirentur, eorum propagatione præſtantiſſimi etiam nunc inveniantur, ſtaturaque procera. *H. Boethius lib. 17.*

Per annos quinquaginta Angli nobiles pecuarii modum excogitarunt, ut ſua augerent annua agrorum vectigalia, ex quo agricolæ non mediocre damnum faciebant. Illi ſiquidem more Numidarum, magis pabulo pecoris, quàm arvo ſtudentes, cœperunt colonos agrorum per quàm raros ubique habere, domicilia ruſtica complanare, vaſtas ſolitudines facere, & terram vacare perpeti, eamque armentis, gregibus, ac ferarum multitudine opplere: item omnia paſcua ſeptis includere, pro ſuiſq; tenere, monopolia lanæ, ovium, boumque ſuo jure inſtituentes. Unde triplex in Rempublicam malum permanavit: unum quòd agreſtium numerus diminutus eſt, quibus princeps ad bellum gerendum cum primis utitur: alterum, quòd benè multi vici, atque oppida habitatoribus vacua complura ruerunt: tertium, quòd lana, ac pannus, qui ex ea conficitur, atque omnis generis animalium caro, qua homines veſcuntur, pluris cœpit vendi, quàm ſolebat, ſic ut minoris ne nunc quidem fermè veneat. Hæc olim mala naſcentia cùm minimè oppreſſa eſſent, poſteà inveterata multò robuſtiora facta ſunt, quæ poſtremò non facilè tolli potuerunt. Rex igitur Henricus octavus edicto tota Anglia divulgato, juſſit domos dirutas rurſus ædificari, colonos reduci, ſepta refringi, conſtituitque gravem pœnam illis, qui imperata non feciſſent. Quæ tam ſancta decreta paulo poſt magna ex parte pretium reſcidit. Nam cùm nobiles, qui voluptatis pariter, atque utilitatis gratia, ſepta ferarum in campis etiam communibus fecerant, & gravatiſſimè ea ad priſtinum uſum reverti patiebantur, cœpiſſent eam vexationem redimere pecunia, confeſtim nonnullis licuit retinere, quod cupiſſent. *Polyd. lib. 27.*

PASCUNT. PASTORES in genere.

☞ *Paſtores, à paſcendo. Hìc ergo de paſtoribus generatim, non expreſſa, vel ſubjecti, vel modi ſpecie.*

Neceſſe eſt humanæ vitæ, ut ſcribit Dicæarchus, ſummum gradum fuiſſe naturalem, cùm viverent Homines ex iis, quæ inviolata ultrò ferret terra. Ex hac vita in ſecundam deſcendiſſe, paſtoritiam, è feris, atque agreſtibus, ut ex arboribus, ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad uſum: ſic ex animalibus, cùm propter eandem utilitatem, quæ poſſent ſylveſtria deprehenderent, ac concluderent, & manſueſcerent: In quibus primùm non ſine cauſa putant oves aſſumptas & propter utilitatem, & propter placiditatem; maximè enim hæ natura quietæ, & aptiſſimæ ad vitam hominum: ad cibum enim lac, & caſeum adhibitum, ad corpus veſtitum, & pelles attulerunt. Tertiò denique gradu à vita paſtorali ad agriculturam deſcenderunt, in qua ex duobus gradibus ſuperioribus retinuerunt multa, & quò deſcenderat, ibi proceſſerunt longè, dum annus perveniret. *Varro lib. 2. c. 1.*

Jabal filius Lamech, Cain abnepos primus tabernacula habitavit, & pecuariam fecit. Tabernacula, & tuguria habitant viri probi, conſcientiæ æneo muro muniti. Urbes muris circumdatas Cain incolit primus, conſcientiæ ſtimulis agitatus omnium inſidias metuens *Gen. 4.*

Jacob patriarcha Laban avunculi ſui greges pavit. Ejuſdem Filii apud Pharaonem in Ægypto fatentur ſe Paſtores ovium eſſe, more à majoribus accepto. *Gen. cap. 13. & ſequent.*

Doeg Idumæus regius paſtor Saul. *Vide Titul. Sacros homines perſequi.*

Amos propheta è Thecuanis paſtoribus fuit. *Amos cap. 1. & 7.*

Æſculapius omnium filiorum Apollinis celeberrimus fuit, quem Jupiter fulmine confecit, quia mortuos in vitam revocaret. Id graviter ferens Apollo, cum ulciſci non poſſet Jovis in ſe injurias, Cyclopas, quia fulmina Jovi feciſſent, ſagittis confecit. Ea re indignatus Jupiter Apollinem è cœlo relegavit. Quod ſcripſit *in Argonauticis Orpheus.* Exul igitur propter inopiam, operam ſuam Admeto Theſſaliæ regi paſcendis armentis conceſſit. Vel ut alii maluerunt, datus eſt in ſervitutem Admeto, & quoniam oves pavit, vocatus fuit Nomius, & Agrius, ut ait *Pindarus in Pythicis.* Huic eodem die natus Mercurius veſperi boves ſurripuit, ut eſt in hymno Homeri in Mercurium. Deinde cùm quereretur Apollo, Mercuriumque minis terrere conaretur, ut boves per furtum raptas ſibi reſtitueret, idem Mercurius pharetram etiam ſurripuit. Qua re cognita coactus eſt redire Apollo. *Horat. lib. 1. Carm.* Cum Pyndarus oves, alii boves paviſſe Apollinem inquiant, Callimachus tamen in hymno in lavacrum Apollinis equas illum paviſſe aſſerit. Qua de cauſa habitus eſt deus poſteà paſtorum unà cum Pale, ut ait *Virgil. Ecloga. 5.*

Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.

Fuerunt, qui dixerunt, Apollinem fuiſſe Arcadum regem, qui cùm ſeveriùs imperaret, pulſus fuit à ſuis civibus, & ex altiſſima Imperii dignitate ad privatam vitam, tanquam è cœlo in terram dejectus, ad Admetum Theſſaliæ regem confugit: qui illi conceſſit: ut iis populis, qui circa Amphryſum fluvium habitabant, imperaret. Inde paſtor apud eum amnem Admeti fuiſſe dicitur, cùm reges antiquitùs, & gubernatores civitatum ποιμένες, ſive paſtores dicerentur, quia non minus utilitatem ſuorum reges antiqui procurabant, quàm paſtores pecudum, aut patres filiorum. Hinc Homerus reges ποιμένας λαῶν vocat. *Nat. Comes Myth. lib. 4. cap. 10.* Νόμιον Apollinem cognominaverunt veteres, non ex officio paſtorali, ut fabula, per quam fingitur Admeti regis pecora paviſſe: ſed quia ſol paſcit omnia, quæ terra progenerat. Unde non unius generis, ſed omnium pecorum paſtor canitur. *Ut apud Homerum,* Neptuno dicente:

φοῖβε σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.

Atque idem apud eundem poetam equarum paſtor ſignificatur, ubi ait:

Τὰς ἐν Πιερίῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Ἄμφω θηλείας, φόβον Ἄρηος φορεούσας.

Prætereà ædes omnium paſtorum ſunt apud Camirenſes ἐπιμηλίου, apud Naxios ποιμνίου: itemque deus ἀρνοκόμης colitur, & apud Lesbios ναπαῖος. Et multa ſunt cognomina per diverſas civitates, ad dei paſtoris officium tendentia. Quapropter univerſi pecoris antiſtes, & verè paſtor agnoſcitur. *Macrobius lib. 1. Saturn. c. 17.*

Ex ſeptem tribubus Indorum tertiam conficiunt omnis generis Paſtores, qui neque in urbibus, neque in villis morantur. Utuntur tabernaculis: venatu, ac retibus tutas à feris, avibuſque regiones reddunt. Hoc exercitio Indiam cicurant, multis variiſque, tum beſtiis, tum avibus, ſementi agricolarum infeſtis, copioſam. *Diod. lib. 2. cap. 10.*

Indi quidam pecuarii, carnibus crudis veſcentes, nomine Padæi. *Herod. lib. 3.*

Curetes primos omnium greges coegiſſe, aliaque manſuefeciſſe pecora: mellis inſuper, & ſagittandi venandique modum induxiſſe perhibent. *Diod. lib. 5. cap. 15.*

Troglodytæ Æthiopes à Græcis appellantur paſtores, eo quòd ex pecoribus vivant. Parentum nomina minimè indunt filiis, ſed tauri, arietis, ovis. Et hos quidem patres, has matres, quoniam ab his, non à parentibus quotidianus præbeatur cibus, appellant. *Diod. lib. 3. cap. 3.*

Numidæ in tuguriis degunt, quæ pro pabuli copia, vel inopia aliò transferunt. Idem inſtitutum Hamaxobii perſequuntur. *Diod. Siculus.*

Scythæ Nomades dicti, propterea quòd nullas habeant domos, ſed in curribus habitent: quorum vel minimi quatuor rotis, reliqui ſex circumaguntur: luto inſuper obturati, ac inſtar domorum fabrefacti, aliqui ſimplici, aliqui etiam triplici tabulato: & probè coagmentati adversùs omnes injurias aquarum, nivis, ac ventorum. Trahunt autem currus alios quidem boum paria duo, alios tria: atque hi cornibus carent, cùm præ frigore cornua eis non enaſcantur. Et in his quidem curribus degunt

gunt mulieres. In equis autem vehuntur viri. Sequuntur autem ſimul & oves, quas poſſident, & boves, & equi: & tamdiù in uno ſubſiſtunt loco, dum ſufficit ipſis pecoribus pabulum: quo deficiente, in aliam regionem commigrant. Veſcuntur autem ipſi carnibus coctis, bibuntque lac equinum, comedunt etiam hippacen, id eſt, caſeum equinum. *Hipp. de Aere, aquis, locis.*

Paſtorali vitæ uti ſimpliciſſimæ atteſtatur Bucolicum carmen apud Græcos, & Latinos. Antiquitati verò idipſum, quòd & Æginetæ primi æs ſignare Bovis imagine cœpere, & à Latinis Pecunia à pecude nomen habuit.

Romani veteres ſtudioſi paſtoritiæ. *Vide Titul. de perfidiæ erga magiſtratum pœna.*

Quidam paſtorem fuiſſe Endymionem putarunt, qui nocturnis paſcuis delectaretur, cùm alii paſtores clauſos greges in ſtabulis haberent, atque cùm hujus greges magnoperè pingueſcerent, fabulæ datus eſt locus, quòd Luna ejus amore capta, illud Endymionis gregibus donaret. *Nat. Comes Mythologiæ lib. 4. cap. 8.*

Patefactam primum Delphici oraculi vim ſcribunt, cùm paſtor quidam, Coretas nomine, qui fortè in eum inciderat, pòſt voces fanaticas miſiſſet, quas primùm, qui aderant, contemnebant: inde eventu fidem iis, quæ ille prædixerat, faciente obſtupuerunt. *Plut. de Def. orac.*

Gyges quidam, Lydi pater, paſtor quiſpiam erat mercenarius, ejus Regis, qui per id temporis imperabat Lydorum populo. Cùm autem eſſet aliquando ſæviſſima tempeſtas coorta, imbrium maxima vis accidit, fulgura denique, terræ etiam quaſſatio, ita ut in ea regione, in qua tum Gyges fortè paſcebat armenta, terra ingenti hiatu ſeſe diduceret. Quod cùm ille animadvertiſſet, ſolus (nam cæteri paſtores territi diffugerant) in hiatum deſcendit, atque ibi tum alia quædam dictu mira conſpexit, tum equum quendam æneum ingentem, ac cavum. Inerat feneſtra in equi latere, per eam vidit in ejus alvo cadaver hominis, majus humana ſpecie. Huic nihil aderat veſtium, aut geſtaminum, præter aureum annulum digito impoſitum. Eum ubi ſuſtuliſſet, regreſſus è ſpecu, paucis pòſt diebus ad paſtorum cœtum rediit, in quo legatus de peculiorum rationibus, ad regem in menſes ſingulos referendis, creandus erat. Hic cùm apud alios aſſediſſet, animadvertit, ut ſi quando fortè gemmam annulo incluſam introrſum verteret, repentè fieret, ut à nemine conſpiceretur: ac perinde quaſi non adeſſet, ita de eo reliqui fabularentur. Quod quidem factum admiratus, rurſum annuli palàm extrorſum convertit, moxque paſtoribus conſpicuus eſſe cœpit. Ejus rei cùm ille diligentiùs, & ſæpiùs feciſſet periculum, jamque ſat exploratum haberet, hanc ineſſe vim annulo, ut verſa ad ſe gemma, inconſpicuus eſſet, verſa ad alios, conſpicuus: effecit, ut paſtorum nomine legatus mitteretur. Profectus, & uxorem regiam ſtupravit, & de rege trucidando cum ea conſilium iniit. Denique conjecto illo, ipſe regina in matrimonium ducta, è paſtore repentè factus eſt rex, idque annuli fatalis beneficio. *Plato lib. 2. & 10. de Repub. M. Tullius lib. 3. de officiis.* Porrò *Herodotus lib. 1.* rem multò aliter narrat, nec ullam annuli facit mentionem. *Vide Tit. Politicum quemvis magiſtratum aſtutè comparare.*

Euphorbus paſtor, novo ſacrificii genere ſterilitatem amoliens, Sacerdotium, & Imperium adipiſcitur. *Vide Tit. Famis amoliendæ revelatio.*

Magnes paſtor Magnetem lapidem reperit in Ida. *Plinius lib. 36. c. 16.*

Cores paſtor oraculi Delphici inventor. *Vide Tit. Oraculorum loca.*

Evages paſtor, deinde poeta. *Vide Tit. Comicorum.*

Evæphnus paſtor Laconiæ, crudeliſſimus, & avariſſimus. *Vide Tit. Avaritiæ in acquirendo.*

Fauſtulus paſtor, cui Amulius dedit Romulum, & Remum exponendos. Aliis placet, Fauſtulum eum fuiſſe, qui expoſitos nutriverit. *Plutarchus in Romulo.*

Alſus, Tityrus, Corydon, Melibœus, Menalcas, Alexis, paſtorum nomina ſunt apud Maronem.

Viriatus Luſitanorum dux paſtor fuit à teneris. *Conſule Tit. Duces, Reges, Imperatores fortes.*

Anthroges paſtor regnum in Judæa affectat. *Vide Titulum Latronum.*

Juſtinus I. Imp. Rom. Thrax genere, primò ſubulcus, deinde bubulcus, tandem faber lignarius factus eſt. *Fulgoſus lib. 6. cap. 10.*

Tamberlanes paſtor Scytha, poſteà rex Aſiæ. *Vide Titul. Obſcuri orti loco, qui clari evaſerunt dignitatibus profanis.*

MEDENTUR VETERINARII.

Cyprii boves ſuos humano ſtercore ſaginant, nec ſaginant tantum, ſed etiam medentur. *Eraſmus in Adagiis.*

MUNDANT, FRICANT.

Ventidius Baſſus Picens, mutos fricare ſolitus, ad conſulatum Romæ evectus, de Parthis triumphavit primus.

VESTIUNT, CALCEANT.

☞ *Huc illi, qui ſoleas, qui ſtoreas animalibus accommodant.*

MACTANT, OCCIDUNT.

☞ *Vide Laniones, & locum de Animali.*

CICURANT, DOMANT.

☞ *Quære Domitores animalium.*

FESTA PASTORUM.

☞ *Quære ex loco Ethnicorum Tit. Feſta Ethnicorum.*

* PASTORALIA CONVIVIA.

Apud Hebræos in ovium tonſura celebrata fuiſſe magnifica convivia, pluribus Scripturæ exemplis docemur. Siquidem Patresfamilias velut exacto labore annuo, quem miniſtri, & opiliones circa ovium regimen exercebant, feſtivum inſtituebant epulum, idque animi relaxandi, & glorificandi gratia, ut eos tanto alacriores redderent ad miniſterium ſuum porrò obeundum.

Talis epuli meminit Moyſes, quando dicit, Judam ut animi ſui dolorem, quem conceperat ex mœrore uxoris, leniret, jviſſe ad tonſuram ovium cum quodam amico ſuo.

De Abſalone legimus, quòd ſervis ſuis in tonſura ovium ſplendidum convivium apparaverit, ad quod etiam patrem ſuum David invitavit, & in quo Ammonem fratrem ob ſtuprum Tamari ſorori biennio ante illatum obtruncari curavit, *lib. 2. Reg. cap. 13.*

Nabal, etiam Zypheus, vir dives, cui erant ovium tria millia, & mille capræ, oves ſuas totondiſſe legitur, & inſtituiſſe, convivium inſtar convivii Regis, ſic ut totum vino ſe ingurgitaverit, ac Davidi cibos pro neceſſaria ſuſtentatione per ſervos ſuos poſtulanti negaverit, cujus inhumanitatem uxor Abigail prudenter diluit, & apud Davidem interceſſit, *1. Reg. cap. 25.*

PASTOR, Metaphoricè acceptus.

☞ *Pro eo, cui ovilis Chriſtiani, aut animarum, proximive cura incumbit.*

BONORUM PASTORUM EXEMPLA, CUM EX S. SCRIPTURA, TUM EX HISTORIIS. ITEM BONI Paſtoris Proprietates, & Mores, ab illis eruti, eorumque Symbola, & Documenta.

Boni Paſtoris, qui talem reipſa ſe exhibere deſiderat, qualem nomine ſe venditat, officia, & proprietates plures in Scriptura divina reperiuntur. Uti & pleræque à SS. Patribus recenſentur, per analogiam, quandam cum paſtoribus ovium rationabilium.

Quatuor inſignes paſtores deſcribuntur in SS. Litteris, in quos meritò oculos coniiciant Paſtores fidelium. Primus inter Paſtores, quos ſummis laudibus efferunt S. Litteræ, fuit Abel juſtus, quem liber Geneſis aſſerit fuiſſe ovium paſtorem. Abel idem eſt, quod lugens: debent enim paſtores populi ſcelera deplorare. Id exercebant illi, de quibus ait Joel: Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo. Id intelligens Jeremias ajebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei?

Alter paſtor eſt Jacob, qui de ſeipſo dicebat: diu, noctuque æſtu urgebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Et Chriſtus cœleſtis paſtor, apud Joannem, patrem cœleſtem alloquens: Quos, inquit, dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex eiis periit, niſi filius perditionis.

Tertius paſtor eſt David, qui de ſe ait: Paſcebam patris mei gregem, & veniebat leo, & urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque prædam de ore eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Oportet, bonos paſtores ſe leoni illi opponere, de quo *D. Petrus in prima ſua Canonica*: Adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret:

Quartus eſt Moyſes, qui oves Jetro paſcebat. Hic pro populo ad Dominum ardentes preces fundens, ajebat: Quieſcat, Domine, ira tua, & eſto placabilis ſuper ira populi tui. Debent enim præſules pro ovibus ſuis Deum orare, eaſque ex Ægypto auferre, & in terram promiſſionis dirigere, hoc eſt, ex mundi

flagitiis avertere, & ad cœleſtis patriæ deſiderium adhortari.
A *D.Bernardus* Veros, & falſos prolixè deſcribit in *tractatu de vita S. Malachiæ Epiſcopi*, cujus miranda dona, & geſta poſtquam deſcripſit, ut inter filios Dei ſervos, & Antichriſti mancipia diſcrimen conſtitueret, multas ſubjecit lectu digna. Et Malachiam, ut boni paſtoris ideam proponens, ait:

Meo quidem judicio primum, & maximum miraculum, quòd Malachias fecit, ipſe erat. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulchritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius, & vita: ipſum exteriorem ita uno ſemper modò, ipſoque modeſtiſſimo, & decentiſſimo geſſit, ut nil prorſus appareret in eo, quòd poſſet offendere intuentes. Et quidem, qui non offendit verbo, ille perfectiſſimus eſt vir. At verò in Malachia, quis unquam etiamſi curioſius obſervarit, deprehendit otioſum non dico verbum, ſed nutum? Quis manum, pedemve moventem fruſtra? Immò quid non ædificans in ejus inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? denique vultus hilaritatem nec ſulcavit mœror, nec lævigavit riſus. Totum in eo diſciplinarum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed non auſterus. Remiſſus interdum, diſſolutus nunquam. Negligens
B nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans. Quietus ſæpè, ſed minimè aliquando otioſus.

A die primo converſionis ſuæ uſque ad extremum vitæ ſuæ, ſine proprio vixit. Non ſervos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquam redditaum Eccleſiaſticorum ſecularium, vel in ipſo habuit epiſcopatu. Menſæ epiſcopali nihil prorſus conſtitutum, vel aſſignatum, unde Epiſcopus viveret. Nec enim, vel domum propriam habuit. Erat autem penè inceſſanter circumiens parœcias omnes, Evangelio ſerviens, & de Evangelio vivens, ſicut conſtituit ei Dominus. Dignus eſt, inquiens, operarius mercede ſua. Niſi quòd frequentiùs ipſum Evangelium, ſine ſumptu ponens, de laboribus ſuis ſuorumque ferebat, unde ſe, & alios, qui ſecum laborabant, in opere miniſterii ſuſtentaret.

Porrò ſi interdum quieſcere oporteret; in ſanctis hoc faciebat locis, quæ ipſe per Hyberniam ſparſerat univerſam. Apud quos moram facere libuiſſet, illorum ſe conformavit moribus, & obſervantiis, communi contentus vita, & menſa. Non fuit in victu, non fuit in veſtitu, in quo potuiſſet Malachias dignoſci inter cæteros fratres, in tantùm, cùm ma-
C jor eſſet, humiliavit ſe in omnibus. Denique cùm exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipſe ibat, epiſcopus, & legatus. Forma Apoſtolica hæc, & inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profectò Apoſtolorum hæres eſt iſte, qui talia agit.

Sed advertere eſt, quomodo dividat hęreditatem cum fratribus ſuis, æquè (ſcilicet) nepotibus Apoſtolorum. Illi dominantur in clero, iſte dum eſſet liber ex omnibus, omnium ſe ſervum fecit. Illi aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant, ut manducent. Malachias imitans Paulum manducat, ut evangelizet. Illi faſtum, & quæſtum æſtimant pietatem: Malachias hæreditate vindicat ſibi opus, & onus. Illi felices ſe credunt, ſi dilataverint terminos ſuos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, unde onerent menſas: Malachias colligit in deſerta, & ſolitudines, unde impleat cœlos.

Illi cùm accipiant decimas, & primitias, & oblationes, inſuper, & de Cæſaris beneficio telonia, & tributa, & alios redditus infinitos, ſolliciti ſunt nihilominus, quid manducent,
D aut quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamē locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec ſollicitudinis ullus eſt finis: Malachias cupiens nihil, non novit tamen cogitare de craſtino. Illi à pauperibus exigunt, quod dent divitibus: iſte ſollicitat divites pro pauperibus ſuſtentandis. Illi marſupia vacuant ſubditorum: iſte pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hoſtiiſque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres, ac mœnia ad cœlos levant: Malachias non habens ubi caput reclinet, opus facit Evangeliſtæ. Illi equos aſcendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non ſuum: Malachias ſeptus ſanctorum fratrum collegio pedes circuit, portans panes Angelorum, quibus ſatiet animas eſurientes. Illi plebes ne agnoſcunt quidem: iſte erudit. Illi potentes, & tyrannos honorant: iſte punit.

O virum Apoſtolicum, quem tot, & talia nobilitant ſigna apoſtolatus ſui? Quid ergo mirum ſi mira eſt operatus, ſit mirabilis ipſe? Immò verò non ipſe, ſed Deus in ipſo. Alioquin, tu es Deus (inquit) qui facis mirabilia.

Boni paſtoris proprietates ſignificatas tropologicè volunt nonnulli per virgam Aaron, quæ floruit *Num*.17. erat enim amygdalina, & quamvis eſſet arida, producebat tamen ſubitò E
baccas, quæ in flores devenerunt, ac in fructus eadem celeritate. Igitur per hanc ſignificatur, qualis debeat eſſe paſtor, Scilicet primò, eum debere eſſe vigilantem; amygdalus enim, vigilantiæ eſt exemplum, & ſymbolum.

Secundò, activum, agilem, expeditum omni in opere, & profectu virtutum. Sic enim hæc amygdalus ſubitò, & penè ſimul baccas, flores, & fructus producit.

Tertiò, laborioſum, patientem, fortem, & ſtrenuum: amygdalus enim cùm prima inter arbores floreat, neceſſe eſt, ut prima frigora, pluvias, grandines, & ventos excipiat, ac ſuperet.

Quartò auſteræ vitæ, & mortificationi addictum. Amygdala enim amara ſunt. Aſpera, *ait Nyſſen. lib. de vita Moyſis, agens de hac virga*, & continens, duraque debet eſſe exteriùs ſacerdotis vita; intus autem in occulto ſuave quodpiam edulium continere, quod tunc manifeſtatur, cùm maturum fuerit, cùmque corruptus fuerit ſtipticus, & circumfuſus cortex, & lignea nuclei teſta defracta.

Amygdalus, inquit Philo, ſignficat opus eſſe aſpero conatu, & labore, ut quis dulcem virtutis fructum aſſequatur: ut quis enim fructu amygdali fruatur, debet prius durum per- F
fringere nucleum, quo fructus contegitur.

Talis fuit S. Nicolaus Epiſcopus Myrenſis factus: licèt enim priſtini ejus mores accurata caſtigatione eſſent cōpoſiti, haud tamen ignorans, aliam eſſe privati hominis rationem, aliam magiſtratum gerentis, vitam omnem, moreſque pro dignitate transformandos putavit. Igitur unica in die refectione, eaque veſpertina contentus, totum diem publicis negotiis ſtudiosè impendebat. Inter cœnandum nunquam ſacrorum librorum aberat lectio, vel certè aderant ſacerdotes eruditione, & vita probati, à quibus ſuaviori aliquo animi cibo alebatur. A menſa in cubiculum ſe recipiens totus in cœleſtium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis, alieniſque curis diſtractum, nocturna meditatione collectum refovebat. Inter quas delicias meliore noctis parte abſumpta, tandem demiſſâ humi membra brevi admodum ſomno reficiebat. Tunc etiam cœpit uti veſte viliori, & negligentiori, quam anteà ſolebat, in qua nullus omninò eſſet nitor, aut faſtus, ſed caſtigatæ potiùs humilitatis, & modeſtiæ ſignificatio: nec enim alio quovis pacto poterat ſapientius, aut facilius ſa- G
cerdotum in veſtitu luxuriem amputare. Et tamen tantùm abfuit, ut ea res aliquid detraxerit de opinione, ut etiam multum auxerit, *ita habet ejus vita*.

S. Andreas Carmelitanus, cujus, cùm quinquaginta octo eſſet annorum, unanimem in Epiſcopum Feſulanum Canonicorum electionem, Spiritus ſanctus per os infantis, prodigioſo confirmavit ſuffragio: ipſe enim ad devotæ ſemel, ſed ſemper benè tuendæ caſtitatis cuſtodiam per magnam ſobrietatem corpus ſuum aſſiduè macerabat, illiuſque nuditatem ſub veſtimentis ferrea ſtringebat catena; nec alio lecto, quam vitium ſarmentis indormiebat: feminarum prætereà colloquia in illa tam gravi jam ætate, non aliter, quàm fœcunda quædam vitabat ſemina vitiorum, *uti habet ejus vita*.

Laudabile eſt, quod de Pio II. Pontifice legimus; cujus tum aliæ multæ virtutes feruntur, tum hæc ipſa, quòd mediocri cibo uti ſolitus eſſet, non lauto, non delicato, eoque ſemper fuiſſe contentum, quod apponeretur, quodcumque eſſet: vino verò parciſſimè uſum, eoque benè diluto. Menſam artificioſam ita contempſit, ut apparatu non pontificio, H
ſed humili, ac propè ruſticano ſit uſus. Inter edendum de ſtudiis bonarum artium loquebatur, memoriam veterum repetens. Ejus voluptas omnis, quandocunque à munere publico vacabat, in lectione, & ſcriptione frequenti repoſita erat. Libros plus quam ſapphiros, & ſmaragdos charos habuit, quibus chryſolitorum magnam copiam ineſſe dicebat. Rara veſte utebatur, & argento frugali magis, quàm regio, *ita Platina, & alii*.

De Juliano Cæſarino Cardinale, illud memoriæ proditum eſt, ferè illum in ſuis veſtibus cubitaſſe, interulam intimam, non ex lino, ſed ex panno geſtaſſe, longa exercuiſſe jejunia, omnibus ſextis feriis pane, & aqua jejunaſſe; quotidie Miſſam celebraſſe. Denique, ut hoc etiam addamus, ita in eleemoſynis profuſum fuiſſe, ut à ſuis alter Martinus appellaretur. *Platus lib. de offic. Cardin. c.* 13.

Apoſtolus Timotheum eſſe manſuetum ad omnes, docibilem, id eſt, aptum, & paratum ad docendum. Græcè διδακτικὸν, patientem videlicet morum, & infirmitatum pro-

ximi:

ximi: cum modeſtia πρᾳότητι, id eſt, lenitate corripientem
A eos, qui reſiſtunt veritati. *Vide Chryſoſt. hom. de manſuetud. to.*5. *& S. Dion. ep.*8. *ad Demophilum*, ubi ait: Hebræorum tradit hiſtoria, Moyſen eximiæ manſuetudinis merito, divina amicitia, & familiaritate dignatum: ac ſi quando ipſum divino aſpectu excidiſſe commemorat, non id ei, priuſquam à manſuetudine defecerit, contigiſſe deſcribit. Erat enim, inquit, manſuetus valdè, atque Dei famulus dicitur, digniorque prophetis omnibus, cui Deus viſionis ſuæ gratiam largiretur.

Cæterùm omnium tam veteris, quàm novi teſtamenti celebrium paſtorum norma, & exemplar eſt Paſtor ille, qui Paſtorum princeps, & Epiſcopus animarum noſtrarum appellatur, Chriſtus, qui *Joan. cap.*10. de ſeipſo fatetur: Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis. Dicit ergo bonum paſtorem, & hoc nomine dignum illum eſſe, qui ſic oves ipſi commiſſas diligit, ut non ſolùm vocet eas nominatim, id eſt, ſingulorum curam habeat, & agnoſcat vultum pecoris ſui, ut aliàs Scriptura dicit: nec ſolùm, ut educat eas, ſcilicet ad paſcua idonea, ut ſit potens exhortari in doctrina ſana, quod Paulus paſtori præſcribit; nec denique tantùm, ut ante eas vadat, bonis exemplis præluceat factus forma gregis ex animo, ut Petrus loquitur: ſed etiam
B ut ubi res id poſtulat, vitam, & ſanguinem pro ſalute gregis fundere non dubitet.

Hæc autem tanta obligatio ex duplici charitate oritur, unicuique paſtori prorſus neceſſaria. Prima charitas erga Chriſtum eſt, altera erga proximum, & oves ipſas, quorum curam ſuſcepit. De priori Chriſtus ad Petrum dicit: Diligis me plus his? Paſce oves meas: Quæ verba conſiderans *D. Chryſoſtomus*, Cùm de Eccleſiæ, inquit, præfectura agitur, illi ſoli in medium prodeant, qui ita charitate reliquis excellunt, quantum corporis magnitudine. Saul reliquum populum ſuperavit, cùm in regem crearetur. Erat autem ab humero, & ſurſum omnibus excelſior. Fieri enim non poteſt, ut Chriſti officio bene fungatur, qui Chriſtum præ cæteris non diligit.

Chriſtus medicus animarum noſtrarum fuit. Medicinæ autem, quam Chriſtus attulit, miniſtri, & cooperarii ſumus (*ait Gregor. Nazianzenus*) quotquot aliis præponimur. Quemadmodum autem familia, ac miniſtri medicorum (*ait S. Chryſoſtomus*) quò erga dominos ſuos benevolentia majore afficiun-
C tur, eò pluribus verbis in ſolandis ægris utuntur, eo ſollicitius, & curioſius circa ægrum ſatagunt: ſic in animarum cura paſtores. Debet ergo paſtor, ut Chriſti perſonam gerit, ſic Chriſti viſcera induere: ut ſit cibus ejus, id eſt, ſola voluptas, facere voluntatem ejus, qui miſit eum, ut perficiat opus ejus, ſicut Chriſtus de ſeipſo loquitur.

Sic Paulus: Quotidie morior propter gloriam veſtram, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Et iterùm*: Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licèt plus vos diligens, minus diligar. Hic eſt alius bonus paſtor, qui verè potuit dicere: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.

Sic D. Martinus, Turonenſis Epiſcop. morti proximus, flentibus circum ſe ſuis, & dicentibus: cur nos pater derelinquis? invadent gregem tuum lupi rapaces: ſic orat ad Dominum: Domine, ſi populo tuo ſum adhuc neceſſarius, non recuſo laborem.

Certè in quibus ſunt flagrantis charitatis indicia, eos Deus
D ad officium paſtorale vocare ſolet: quod de Moyſe, de Petro, & de Paulo his verbis notavit *S. Auguſtinus*: Petrus poſt percuſſum gladio Malchum, factus eſt paſtor Eccleſiæ. Moyſes poſt percuſſum Ægyptium, quem abſcondit ſabulo, factus eſt Rector ſynagogæ. Pauli ſævitia Eccleſiam perſequentis, ſilveſtre erat vitium; ſed magnæ fertilitatis indicium. *Hæc ille*.

Chryſoſtomus amicum ſuum Baſilium fraude quadam ad Epiſcopatum ſuſcipiendum induxerat. Ejus rationem hanc poſteà reddit, eo quòd periclitantem in judicio amicum, ut liberaret in media pericula ultrò ſe conjecit, ne quidem ab amico rogatus, aliiſque hoc ejus factum poſteà improbantibus, reſpondit: Ego aliter amare non didici. Hinc enim conjecturam accepit Chryſoſtomus, eum non ſecus oves Chriſti amaturum, quàm amicum dilexerat.

Excelluit in hoc genere fortitudinis paſtoralis S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui mortem minitante ſicario, Ego verò, inquit, pro Domino meo mori paratus ſum, ut Eccleſia Anglicana meo ſanguine pacem, & libertatem aſſequatur. Quod & factum eſt.

Plura fortitudinis hujus, in defendenda veritate, exempla bonorum paſtorum ob oculos adduci poſſunt, qui exemplo Joannis Baptiſtæ Herodem ſuper libidine ſua fortiter redar- E
guentis, Principum vel minis, vel blanditiis non ceſſerunt.

In Concilio Ariminenſi ſcriptum erat decretum contra Arianos. Illud decretum cæteri Epiſcopi Euſebio Samoſateno Epiſcopo cuſtodiendum dederunt. Conſtantius Imperator Arianus, hoc cognito, mittit ad Euſebium, ut decretum ad eum tranſmittat. Negat id facturum Epiſcopus, ne depoſitum apud ſe alienaturum, ſine Patrum conſenſu, qui depoſuerant. Iratus Imperator, iterùm mittit, minitans dexteram ei præſcindere, ni reddat. Epiſcopus, lecta epiſtola, porrigit nuntio utramque manum, dicens: utramque potiùs præſcinde. Neque enim decretum hoc, quod tam illuſtre eſt impietatis Arianæ teſtimonium, reddam Auguſto. Et laudavit Imperator Epiſcopi conſtantiam.

Valenti Ariano Imperatori ad bellum contra Gothos proficiſcentis, Iſaacius eremita occurrit, & frænum equi tenens: Quo pergis, inquit, qui contra Deum rebellaſti, & à Deo deſertus es? Hos enim barbaros contra te excitavit, ſicut tu contra Eccleſiam Catholicam hæreticorum linguas acuiſti. Ceſſa ergo, & Catholicis Eccleſias redde, vel ex prælio nunquam
vivus reverteris. Quod & ſic accidit. Erat hic Iſaacius alter F
Michæas contra Achab.

Britannio quoque Scythopolis Epiſcopus eundem Imperatorem in faciem coarguit de perſecutione fidelium Catholicorum: & uterque hoc nomine vincula ſuſtinuit.

Excelluit etiam in hoc genere S. Ambroſius, qui Theodoſium Imperatorem, propter injuſtam cædem Theſſalonicenſium, excommunicavit, & à templi ingreſſu prohibuit: qui eundem, poſt reconciliationem, chori cancellos ingredi volentem, exire per Diaconum juſſit: qui eundem iterùm acriter reprehendit circa Judæorum Synagogam. Conſtantinopoli ab ejus præfecto ethnico ædificari permiſſam, à Chriſtianis incendio abſumptam, & ab Imperatore reædificari juſſam, effecitque, ut contrario mandato nullam Judæis Synagogam permitteret.

Idem Valentiniano juniori Imperatori Eccleſiam pro Arianis conſtantiſſimè negavit.

Sanctus item Chryſoſtomus, qui Eudoxiam Imperatricem, eo quòd viduæ Callitropæ vineam injuſtè ablatam G
reddere admonita noluit, ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit: & Gainæ Gothorum præfectò Ariano, Eccleſiam Conſtantinopoli concedere, Arcadium Imperatorem non permiſit.

Sic Joannes Roffenſis, & Thomas Morus, aliique innumeri Henrici VIII. procaci libidini uſque ad ſanguinem reſtiterunt.

Sic S. Dunſtanus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Edgarum Angliæ regem publicè coercuit adulterantem.

Sic S. Lambertus Pipinum Auſtriæ Ducem, cum Alpaide pellice jus conjugale violantem.

S. Stanislaus Cracovienſis Epiſcopus Boleslaum Poloniæ regem, ſimili ſcelere adulterantem uſque ad ſanguinis effuſionem redarguit.

Omnes iſti S. Joannis Baptiſtæ partes egerunt, & non erant arundines vento agitatæ, ſed arbores in Chriſti charitate radicatæ, & benè fundatæ ſuper firmam petram.

S. Laurentius Juſtinianus, Patriarcha Venetus, qui etiam ſedulum ſe paſtorem exhibuit, eleganti ſimilitudine declarat quænam partes illius ſint, dum ita ſcribit: Uſus quidem H
docet, ut quoties contingat ſuos ſimul dimicare exercitus, miles per ſe ſit quiſque ſollicitus, qualiter videlicet illæſus hoſtes poſſit evadere, illos etiam invadere, deprædari, atque ſubigere. Singuli propria tractant negotia, & pro ſua laborant ſalute. At verò totius dux exercitus præter ſuam gerit omnium curam. Providet namque, quibus ipſe exercitus alatur cibis, quibuſque utatur equorum ſtramentis. Secum tacitus cogitat de univerſorum indemnitate, quomodo ſcilicet valeat adverſarios decipere, adversùs illos inſidias ponere, diſſimulare fugam, & ſuperare incautos. Cæteris quippè ludentibus, prandentibus, vagantibus, dormientibuſque, ipſe clam amicorum perluſtrat caſtra, ſi fortè eos improviſos reperiat, invadat, trucidet, & diſperdat. Omnis profectò induſtria pro tuitione exercitus, tam inſtituendis excubiis immittendis exploratoribus, quàm in mutandis cuſtodibus ex ipſius animi ſagacitate dependet. Ad illius quoque imperium moventur caſtra, acies diriguntur, certamen geritur. Ipſe nempè in hora conflictus hortatur trepidos, urget pigros, robuſtos accendit, retrogradientes impellit, deordinatos ordinat, & cùm pugnantibus deſiderio, & adhor-

tationibus pariter, & ipſe concertat. Quod autem de viſibili eſt dictum exercitu, hoc de ſpirituali, & inviſibili cenſendum etiam non ambigo. Porrò iſtum ſpiritualem exercitum congregationem dixerim omnium eſſe fidelium: qui in Eccleſia, tanquam in campo ſub diverſis gradibus diſtinctis videlicet agminibus ſunt ordinati ad bellum adverſus aereas poteſtates, quæ profectò mille modis, occultiſque machinationibus, fraudibus innumerabilibus, & implacabili crudelitate die, noctuque Dei caſtra oppugnare non deſinunt. Ad quorum ſiquidem defenſionem, inſtructionem, & regimen inſtituti ſunt ſpirituales duces animarum videlicet paſtores, atq; rectores, quatenus ipſorũ ſalubri proviſione, exercitatione laudabili, admonitione ſancta, cœleſti ſapientia plebs tota credentium, quæ per ſe minus eſt valida ad pugnandum, animetur indeficienter, jugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perſeverãtiam conſiliis ſalutaribus roboretur, juſtis prorſus incumbit, cunctarum gubernatio Eccleſiarum, tradita eſt cura fidelium: quibus quemadmodum adſcribitur ad meritum univerſorum corona vincentium, ita è regione pereuntium de ipſorum manibus requiretur ſanguis: ſi tamen erga eorum ſalutem reperti ſunt deſides, atque vitæ monita eidem inſinuare neglexerint. *De inſtitutione, & regimine prælatorum, c.17.*

Superioribus exemplis bonorum Paſtorum pauca, quæ ſequuntur, adiiciantur.

Cùm adhuc in humanis ageret beatus Auſtregiſilus, tanquam paſtor bonus curam Eccleſiæ, & plebis ſibi commiſſæ quotidie pervigilem gerebat, eamque à luporum faucibus ſervare ſtudebat. Accidit autem, ut ex palatio Theodorici Regis, ipſo Rege permittente, ad urbem Bituricenſem accederet Guarnerius homo ſæviſſimus, avaritiæ, & turpi lucro additus, ſuperbia tumidus, ab ea urbe pecuniam Regis nomine, quam dare non conſueviſſet, exacturus. Permoti cives inſolito onere omnes ad beatum Auſtregiſilum confugiunt: orant ut hanc vim ab ipſis propulſare velit. Vir ſanctus ad Deum ſe confert, diurnis, atque nocturnis precibus ejus aures continuè pulſat, ut populum ſuum hac vexatione liberaret. Jam ad urbem adventabat miſer ille Guarnerius, & ad eum exit ſanctus Epiſcopus, atque pro commiſſa ſibi plebe murum ſe opponit, paratus etiam, ſi res poſtulet, Chriſti exemplo pro ovibus ſuis animam ponere. Dicit Guarnerio: Unde venis homo improbe, & quid facere inſtituiſti? Non permittat Deus, ut in hanc intres urbem, & civium cenſum agas. Tum verò Guarnerius acri ira commotus, quòd invito Epiſcopo non poſſet Regis, & ſuam explere voluntatem, furibundus ad Regem abit: nunciat illi, renitente Auſtregiſilo Epiſcopo, quod ipſe juſſiſſet, ſe facere non potuiſſe. Intereà verò beato fine Auſtregiſilus quievit in pace. Ejus Diaconus Sulpitius illi ſucceſſit. Redit poſteà Guarnerius executurus ſub Sulpitio, quod ſub Auſtregiſilo non poterat. Sulpitius verò anxius ad Dominum confugit, ab illo conſilium rei bene gerendæ petens: erat enim vir mitis, & lenis, hominiſque violentiæ, ut reſiſtere poſſet, non videbat. Deinde Guarnerium adit: orat, ut qui ſub ipſius deceſſore ab hujuſmodi onere immunes fuiſſent, illos etiam ſuis temporibus paterentur ſolita gaudere libertate. At Guarnerius, homo ferus, viri Dei preces contempſit. Dixit itaque illi Sulpitius: Si quidem contra jus, & fas tua eris potitus voluntate, non diu tamen impune feres. Ille vero in urbem ingreditur, facit ut erat juſſus: omnibuſque pro voto expeditis, corpore, non animo adit S. Auſtregſili Eccleſiam, tanquam preces illic oblaturus. Ut vidit autem monumentum ſancti viri à fidelibus Chriſtianis auro, argentoque mirificè exornatum, dixit arrogantiſſimè: Auſtregiſilus aurum ſuum, & argentum in pauperes erogare debuit, non jubere, ut ſuum ſepulchrum illo tegeretur. Non hoc ille dicebat, quòd ei curæ eſſent pauperes, ſed inſtar Judæ proditoris avaritia æſtuabat. Poſteà à ſepulchro viri Dei diſcedens, orationis cauſa altaria circuibat. Cùmque in ipſa baſilica ambularet, lignum quoddam, ad quod vela ſuſpenſa erant, ab alto ruit ſuper caput ejus. Manavit ſanguis à capite per oculos, & barbam, & ad terram uſque defluxit: & miſer ille clamavit voce, qua potuit: Auſtregiſilus dum vixit, ſemper in me hoſtili animo fuit, & jam mortuus me probè interficit. Ita infelix, nec culpam agnovit ſuam, nec à beato viro veniam petiit, immò verò fervens malitia, Auguſtodunum ire inſtituit, ut ejus loci Epiſcopum perderet. In ipſo autem itinere in pago quodam, cùm omnes recubuiſſent, ſurrexit à menſa, & ad exonerandum ventrem ſeceſſit. Interim ſomno correptus obdormit: evigilans dixit adſiſtentibus: Auſtregiſilus, & Sulpitius hac hora urceum aureum miſerunt mihi: quis veſtrum habet illum? Negantibus illis ſe quidquam hujuſmodi vidiſſe, ſua verba repetiit, neſciens, quid diceret. Mox verò inteſtina ejus, & viſcera omnia in cloacam deciderunt, eaque nocte vitam perdidit. Ex eo tempore nemo auſus fuit regiorum miniſtrorum ab urbe Bituricenſi eam pecuniam extorquere, abſterrente omnes tam diro interitu illius, qui talis exactionis primus auctor fuiſſet. *Ex Act. Auſtregiſili c.22. Sur.2. Maii, & Barom. tom.8. ann.611.*

Theodoro Tornacenſium Epiſcopo vita functo, Chriſtiani Eleutherium propter ſuam vitæ integritatem Romam miſerunt, inde reverſum, auctoritateque Pontificia approbatum, ſummo conſenſu anno Domini quadringenteſimo octogeſimo quarto conſecrari curarunt. Ipſe autem in eum locum vocatus ſingulari vitæ probitate cæteris præluxit, pietatem in omnes exercuit, gregẽ ſibi cõmiſſum bonus paſtor intrepidè defendit; hæreticos nunc rationibus placidè ad concordiam invitavit, nunc contumaciter rebellantes ſeveritate paſtorali caſtigavit. *Ex Offic. SS, inſignis Eccl, Tornac. lect.4. de S. Eleutherio Ep.*

In civitate Pergen Pamphyliæ beatus Neſtor Epiſcopus, ſub perſecutione Decii, cùm die, noctuque orationi inſiſteret, poſtulans, ut grex Chriſti cuſtodiretur, comprehenſus nomen Domini mirabili libertate, & alacritate confeſſus, equuleo crudeliſſimè tortus eſt: exinde crucis ſuſpendio victor migravit. *Uſuard. in Martyrolog. 26.*

De Sancto Hugone Gratianopolitano Epiſcopo narratur, quòd dum electus eſſet in præſulem, & inveniſſet plebem prorſus incultam, rudem, & induratam, clerum quoque totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarum, in tantùm, quod ſacerdotes in facie Eccleſiæ publicæ duxiſſent uxores: videns vir ille adhuc juvenis, utpote viginti ſeptem annorum, ſe non poſſe humanis proficere viribus, toto corde confugit ad Deum, invocans eum pro converſione populi ſibi commiſſi, in cilicio, jejuniis, abſtinentiis, lachrymis, diſciplinis, & proſtratione in terram aſſidua: ſicque Deus videns ſancti juvenis charitatem, humilitatem, ſollicitudinem, contulit gratiam magnam: ita quòd citò, ac inſperatè ſanctus Epiſcopus ille plebem ſuam, ac totam diœceſim in ſpiritualibus, ac ſecularibus reformavit. *Dio. Carth. l.2. de Doctr. & Reg. Chriſt. a.1.*

CONDITIONES VERI PASTORIS, EÆQUE NECESSARIÆ.

Ad bonum, ac legitimum Chriſtiani populi Paſtorem primùm, & ante omnia neceſſarium, ut ſit legitimè miſſus, & ordinatus. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur? ait Apoſt. *Rom.*10. Alioquin latrones futuri ſunt non intrantes per oſtium, id eſt, Chriſtum; quod fieri Dominus præcepit *Joan.*10. Eſt enim latro, qui intrat aliunde, id eſt, ut Cyprian. *l.1. epiſt.6.* ſcribit, qui nemini ſuccedens, à ſeipſo eſt ordinatus. Paſtor autem eſt, qui per oſtium intrat, id eſt, qui, ut ſcribit Irenæus, *l.4. c.4.* ſucceſſionem habet ab Apoſt. à Chriſto miſſis, & cùm Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum cum beneplacito patris accepit.

Altera conditio eſt, ut jam legitimè ordinatus ſervet tam doctrinæ, quàm morum unitatem, ne ex Paſtore fiat mercenarius, aut lupus, per hæreſim, aut ſchiſma ſe ſegregans ab ovili, illudque dilacerans, prout hæretici faciunt: & illi, de quibus Paul. qui abducunt diſcipulos poſt ſe. Ad hanc autem unitatem facit, ut eandem fidem teneat, & doceat, pro cujus propagatione miſſus eſt Paſtor: & doctrinam, quam ab Eccleſiæ uberibus accepit, aliis tradat: & in ea ad finem perſeveret. Reliquæ conditiones, quarum pleraſque ſuprà adduximus, & ab Apoſt. præſcribuntur, 1. *Tim.*3. & *ad Tit. c.*1. quamvis omnibus numeris abſolutum Paſtorem conſtituant, non tamen ad eſſentiam illius pertinent, uti jam dictæ.

RESIDENTIA PASTORALIS, EAM OMNINO neceſſariam. Et quid de ea in Jure Decretum?

Beneficiatis omnibus, quibus animarum cura incumbit, jure divino adeſt obligatio reſidendi apud gregem ſuum, & per ſe onus, ac officium ſuum adminiſtrandi. Conſtat ex decreto *Conc. Trid. ſeſſ.23. c.1. de Reform.* ubi ſic ſtatuitur. Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera omnia Paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, & aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerviunt, &c. Ex quibus verbis patet, Epiſcopos, & alios habentes curam animarum Jure divino teneri ad Paſtoralem reſidentiam, ex Concilii Tridentini ſententia. Ratio eſt, quia Jure divino naturali tenentur ad præſtandum ea, quæ ſunt ſui officii.

Epiſcopi

Epiſcopi tamen poſſunt quotannis, ſive continuò, ſive interruptè, à ſuis Eccleſiis ex juſta cauſa ad ſummum tres menſes abeſſe, ſine alia Superioris approbatione, non tamen ampliùs, ut habetur dicto *cap.1. ſeſſ.23.*

Si præter hos tres menſes oporteat ob aliquas cauſas ampliùs abeſſe (ut ſi Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, evidens Eccleſiæ, vel Reipub. utilitas ampliùs abeſſe poſtulent) debebunt hæ cauſæ approbari à Pontifice, vel à Metropolitano, vel eo abſente ab antiquiore ſuffraganeo (qui etiam Metropol. abſentiam approbare debebit) idque in ſcriptis *Conc. Trid. ſup.*

Parochi ſi ultra duos menſes abſque legitima cauſa per Epiſcopum cognita, & approbata abſint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore abſentiæ amittunt. Colligitur ex eodem cap.

Quod de Parochis dixi, cenſendum eſt & de aliis, qui aliquod beneficium curam animarum habens obtinent, ut inquit Conciliũ. Unde etiam de perpetuis Coadjutoribus eſt intelligendum, ut congregatio Cardinalium dicitur explicuiſſe, & meritò; quia talis Coadjutoria eſt beneficium cum cura.

Innocentius ſextus patria Lemovicenſis, Pontificii, Civiliſque juris vir conſultiſſimus Epiſcopus Claromontanus, deinde Cardinalis, Pontifex tandem creatur an. Dom. 1352. Fuit vir integerrimæ vitæ, magnæque conſtantiæ, & ſeveritatis Beneficia Eccleſiaſtica nonniſi probatiſſimis ſacerdotibus tum vita, tum doctrina dedit. Poſt coronationem verò ſtatim conſtituit, ut omnes Prælati, omneſque, qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas ſub anathematis pœna proficiſcerentur. Dicebat enim oves paſcuas à proprio paſtore, non à mercenario cuſtodiri debere, *Platina in Innocentio VI.*

Athanaſius, ex monacho Patriarcha Bizantinus factus, Eccleſiaſticos, qui Conſtantinopoli inventi ſunt, in ſuam quemque metropolim miſit, ubi ævi reliquum exigerent. Ne (inquit) hic deſidentes, aliquid mali contra vos ipſos, & me conſuatis: qui verò aliundè adveniebant per cauſam, quod ſacra, divinaque Concilia juberent, ut metropolitani bis, aut ſemel quotannis apud Patriarcham convenirent, & quæſtiones Eccleſiaſticas, quæ interim incidiſſent, diſceptarent, urbis ingreſſu prohibuit. Rectè ſanè. Dicebat enim æquum eſſe, ut ſuam quiſque Eccleſiam paſceret, ut Patriarcha Conſtantinopolitanam: & ut præſentes ovium ſuarum curam agerent, non autem emolumentis inde acceptis in Urbe morarentur. *Gregorius lib.6. Annal.*

Gregorius XI. etiam Lemovicenſis, Petrus Betfortis anteà vocatus, ſanctæ Mariæ novæ Diaconus, Avenione Pontifex omnium conſenſu creatur. Vir fuit tantæ innocentiæ, & placabilitatis, adeòque humanus, & pius, ut ab omnibus unicè diligeretur. Quo tempore multa mala in Italia committebantur. Exiſtimans itaque Gregorius Pontifex ea omnia mala ſua abſentia fieri, naufragiumque tam diuturnum abſente gubernatore committi, de profectione ſua ad Italiam vir bonus diu, multumque cogitare cœpit: ſed hominem movere cujuſdam Epiſcopi verba, qui interrogatus à Pontifice, dum ſimul laborarent, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, quam haud par erat tamdiu Paſtore nudam relinqui: Cur, inquit, tu, ſumme Pontifex, cæteris exemplum daturus, tuum Epiſcopatum non repetis, Eccleſiamque Romanam? Motus his verbis Pontifex, paratiſque in Rhodano una, & viginti triremibus, aliò ſe iturum ſimulans, ne à Gallis retineretur, ſi ſe profecturum ad Urbem intellexiſſent: ipſam namque curiam emolumenti cauſa in Gallia volebant: Genuam itaque primò, inde Cornetum contendit, unde terreſtri itinere navigationem pertæſus, hyeme præſertim, Romam pervenit ann. Dom. MCCCLXXVI. idibus Januariis, Pontificatus ſui ſeptimo, migrationis verò Romanæ curiæ in Gallias anno ſeptuageſimo. Quo autem apparatu, quàmque incredibili populi Romani lætitia ſuſceptus in Urbem ſit, honorato quoque obviam prodeunte, non attinet dicere, cùm cultu, geſtu, acclamationibus omnem lętitiæ ſpeciem effuderint, ut filii ſolent redeunte peregrè exoptato parẽte. Indigebant omnia adventu Pontificis. Nam & mœnia, & Baſilicæ, & publica, ac privata ædificia ubique ruinam minabantur, quæ certè magna ex parte reſtituit, ut turris ſuo juſſu ædificata ad ſanctam Mariam Majorem indicat. Labefactati etiam ita civitatis mores erant, ut nihil urbanitatis habere videretur; utque illi mores aliunde petendi eſſent, quæ totum orbẽm terrarum, quondam ad urbanitatem redegerat. *Platina in Greg. XI.*

Carolus bonus Flandriæ Comes, Regis Daciæ filius, S. Canuti, erga Deum in viros Eccleſiaſticos ſic fuit humilis, & devotus, ut ſæpè rogaret eos, quatenus eum tempore, & loco de ſuis defectibus reprehenderent. Cauſas Eccleſiaſticorum primò ſemper expediri fecit. Unde ſemel contigit, Joannem Abbatem ſancti Bertini ingredi curiam Comitis in die Epiphaniæ. Cur Comes: Domine Abbas, quis pro vobis hodie cantat magnam Miſſam in Eccleſia veſtra? Abbas inquit: Domine, ſunt centum monachi, poterit bene ab aliquo probo viro celebrari. Et comes: Debebatis in Collegio veſtro cum pſallentibus pſallere, & cum prandentibus epulari, & monachos veſtros recreare, qui in Dei ſervitio laboraverunt. Nam ad hoc patres noſtri vobis reditus aſſignarunt. Domine, ait Abbas, neceſſitas me cogit; nam miles quidam nos opprimit. Reſpondit Comes, ſuffeciſſet hæc mihi per chartam, vel nuncium intimari: nam meum eſt defendere, & veſtrum pro me Dominum exorare. Vocato autem ad ſe militem, dixit illi: Per fidem, qua teneor Balduini prædeceſſoris mei animæ, ſi plus de hoc audiero; faciam te bulliri, ſicut ille fecit militem viduæ bona deprædantem. *Ex annal. Flandriæ appendix ad origines Cœnobiorum Auberti Miræi.*

VITÆ CONSIDERATIO. MORES.

Variis ſimilitudinibus Paſtoris vita qualis eſſe debeat, exprimitur, nos illa contenti erimus, quàm Ezechiel adhibet, dum dicit: Speculatorem dedi te domus Iſrael. *c.3.* & alibi Speculatores autem ſunt, qui è loco edito hoſtium adventum explorant, indicant, inſidias detegunt. Ad eum modum Eccleſiaſtici Paſtores, lupos venientes arcere, & eorum adventum explorare, ac ne irrepant, ſedulò invigilare debent. Verùm in excelſo virtutum, non in valle peccatorum conſiſtant. Super montem excelſum ait *Iſaias c.40.* Aſcende tu, qui Evangelizas Sion, & *S. Gregorius.* Quiſque ait, populi ſpeculator ponitur, in ſublimi debet ſtare per vitam, ut poſſit prodeſſe per providentiam; neque enim Petro oves ſuas Dominus credidit, niſi poſtquam mare, & retia dimiſit. Paſtoris nomen admonet, Prælatum ferè eo ſe intervallo diſtare à ſubditis debere, doctrina & ſanctitate propter poteſtatem, & munus, quantum eſt inter hominem, & pecus, ut à *Chryſoſtom. de Sacerdot.*

Quo Philo reſpexit, ſanè obſervans, ut cœlos regunt Angeli, cœli elementa, ſic regi beſtias ab homine, ab anima corpus, rem inferiorem omnem à ſuperiore.

Nec minus anteſtare Nazianzenus docuit *apol. de fuga.* Paſtorem ſpiritualem ovibus ſpiritualibus, quam præſtet animus corpori, cor, caputque cæteris partibus corporis. Profectò, ſi Principis politici vitam cenſuram oportet eſſe, *teſte Plinio in Paneg. Trajani*, ideòque Valerianum Senatus cenſuit Cenſoris dignum munere, ut ſcribit *Trebellius in Valeriano*, quod ejus eſſet vita cenſura, quod omnibus notior, quod abſque crimine, quod ei nihil obiici poſſet: quod nos ſentire convenit de Magiſtratu ſpirituali, de divinorum more inſtitutore, & correctore?

Plato quoque voluit ſuprà hominem eſſe debere homines recturum, perinde ut beſtiis non beſtia datur, ſed ratione præditum animal, à quo regantur. Quia verò nihil aliud niſi humanum reperire poterat in homine, non ab homine, ſed à lege regi hominem exiſtimavit. At cum ratione homo hominem ſuperet, & gratiæ divinæ, quam ignorat Philoſophus, munere præcellat, unus alterum regere poterit Paſtoris officio.

Admonet Paſtoris vos prætereà, paſcendique verbum, quibus ratio præſidendi, regendi, gubernandi, &c. ſignificatur, munera cuncta Paſtoris exequenda eſſe, quæ præ cæteris egregiè deſcribuntur ab Ezechiele *cap.* 34.

Inter varia Paſtorum officia potiſſima ſunt tria, lupos, omneſque feras arcere; arietes, ſi lædant gregem cornibus, prohibere, ne præcedant; ſingulis ovibus conveniens pabulum diſpertiri, vel etiam medicinam.

Triplex ad hæc clavis conducit, juriſdictionis, ſcientiæ, ordinis. Cæterùm quamvis præſtent Paſtores ovibus, & tam longè quodammodo præcellant, quàm, ut dictum eſt, ſuperior eſt homo pecude: tamen oves ſunt rationales, quas paſcunt, ac regunt, non meræ beſtiæ, nec deſpoticè tractare illas debent, ut dominantes in cleris, ac ne quidem in plebibus, ſed politicè, civiliter, humanè, & viſceribus, atque funiculis, charitatis, niſi cum degenerant in beſtiales, ac ferinos mores.

Eleganter *Chryſ. l.2. de Sacerdotio.* Neque enim, ait, homini, licèt tanta cum auctoritate homines curare, cum quanta oves Paſtor curat, huic enim liberum eſt, & vincire; & à pabulo arcere, & urere, & ſecare, cum illic medicinæ, ac curationis ſuſcipiendæ facultas poſita minimè ſit in illo, qui medicinam adhibet: ſed in eo tantùm, qui aberrat. Affert exemplum Pauli dicentis. 2. *Cor.*1. Non quia dominantur fidei veſtræ.

DISCRIMEN PASTORIS, ET MERCENARII.

Chriſtus Dominus, poſtquam ſe Paſtorem bonum dixerat,

ſubjecit diſcrimen inter paſtorem,& mercenarium, quòd paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, qui paſtor non eſt, id eſt, qui paſtoris nomen non meretur, quia plus terrenam ſubſtantiam, quàm oves diligit: (*ait Gregorius Magnus hom.14.ſup.Evang.*) videt lupum venientem, & fugit. Paſtor eſt, qui intrat per oſtium, & diligit oves: Mercenarius paſcit oves, niſi lupus veniat. Nam, *ut ait Gregorius loco citato*, utrùm Paſtor, quis ſit, vel Mercenarius, cognoſci veraciter non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deſit; ſi perſecutio, & tentatio abeſt.

Eſt autem mercenarius duplex. Alter ex fine, & occultus, alter apertè flagitioſus. Ex fine, & occultus eſt, qui ſpe lucri, aut honoris paſcit, ſed ſine ſcandalo vivit. De hoc dicit Chriſtus, quod non eſt paſtor; & Apoſtolus, quòd per occaſionem Chriſtum prædicat, non propter bonam voluntatem, & ex charitate. Docet autem per occaſionem, *ait Aug.de verb. Dom.ſerm.49.* qui propter ſua commoda, ſive pecuniæ, ſive honoris, & laudis humanæ id facit.

De iſtis ait *S.Hieronymus, epiſt. ad Nepotianum*: Ignominia eſt omnium ſacerdotum, propriis ſtudere divitiis.

Magna ſanè ignominia; quia facit eos de bonis paſtoribus turpes mercenarios. Nec ignominia hæc tantùm eſt, ſed & magna ſtultitia. Bonus enim paſtor, & temporale commodum accipit, quia meretur (dignus eſt enim operarius mercede ſua) & mercedem quoque æternam non amittit, quia ad neceſſitatem illud accipit, non ad cupiditatem, nec enim principaliter illud quærit, ſed illud omne ſibi adiici intelligit, & non niſi per accidens dari: ideòque cùm apparuerit princeps paſtorum, percipiet immarceſcibilem gloriæ coronam. Sed mercenarius ita bonum, & commodum ſuum temporale avidè proſequitur, ut propter illud unum perdat alterum, & propter vilius, perdat excellentius, & propter momentaneum, perdat æternum.

Alterum genus mercenariorum deſcripſit Chriſtus, cùm de Phariſæis diceret: Quæ dicuntur, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Mercenarios enim noſtros, *ait Auguſt. tract.46. in Joan.* in his verbis deſignavit. Uterque iſte mercenarius videns lupum venientem fugit, & dimittit oves. Nihil prorſus durum pati, nullam rei familiaris, aut honoris jacturam ſubire vult. Ideò adhuc venientem lupum fugit; non expectat donec venerit, donec vim aliquam intulerit. Stat poſt principia, primus in fuga, poſtremus in prælio; nempe hunc lupi videre priores, & magis mutum, quàm piſcem reddidere. Canis enim mutus eſt, non valens latrare, ſed attentus ad offam. De his Ezechiel: Quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael erant.

☞ *Legatur de iſto argumento S. Gregor. Nazianz. Orat. 1. ſeu Apologet. de fuga. Bernard. in tract. de vita S. Malachiæ Epiſcopi, & potiſſ. in libris de Conſid. ad Eugenium. Gregorius in Paſtorali. Auguſtinus Tom. 9. oper. libro particulari.*

---

* Pater. Patres.

Definitio, et Etymologia.

PATER etiam nomen religionis, unde dii omnes patres vocabantur: peculiariter Baccho tributum eſt patris nomen, Jupiter Divum pater nominatur. Oceanus rerum pater. Similiter nomen reverentiæ. Romulus centum Senatores elegit, quos patres ab honore, ſive ætate, ſive cura, quam habere in rebus publicis expediendis oportebat, vocavit.

Pater idem quod parens, qui aliquem genuit. πατὴρ quaſi παῖδας, τηρῶν, ex ſe genitos ſervans. Hebr. *Ab.* à voluntate, & affectu paterno in tuos liberos. A verbo *Abah*, voluit: conſenſit, acquievit. Cognationem habet cum, *Ahab*, dilexit: item cum *Jahab*, & *Taab.* appetivit: Mirus eſt enim patrum erga liberos ſuos affectus.

Usurpatio Vocis Varia.

Pater Hebræis pro avo, atque adeò ipſis majoribus, ut apparet, *ex Exod.2.18. & Num.10.29.* pro authore *Joan.9. 44. Jacob.2.17.* abſolutè, & notionaliter, pro ipſius ſanctiſſimæ Triados prima perſona. *Luc.10.22.* Pater nemo vocandus, quia unus eſt Pater, qui in cœlis eſt, *Malach.1. Matt.23.9. Epheſ.4. 6.* eſt enim Deus eſſentialiter Pater. Unde initium orationis Dominicæ ab hoc nomine deſumitur, & ab illo omnis paternitas in cœlis, & in terris nominatur. *Eph.3.* Pater gloriæ, pro patre glorioſo, vel gloriæ pleno, per Hebraiſmum, *Eph.1.17. Vide 1.2.7.* Patri etiam tribuitur Servatoris nomen. *1.Tim.1.1.*

Patres, id eſt, Majores in Moyſē baptizari, *1.Cor.10.verſ.1.2*

Pater auctoritatis, dignitatis, poteſtatis, vel civilis, vel ſacræ reſpectu, *Judic.18.19. Samuel.24.12. 2.Regum 2.12. & 5.13. & 6.21. & 13.14. Actor.27.1.* Pater, auctor, doctor, inſtitutor, alicujus artis, vel ſcientiæ: *Gen.4.20.21. 1.Chron.14.14.*

Pater, Creator, nempè Deus, *Job.38.28. Malach.2.10.* Pater multarum gentium Abraham, *Gen.17.45. Rom.4.1. &c. Jac.2.21.* Pater Judæorum, idem, *Matt.3.9. Joan.4.12. & 8.39.53.*

Pater adjutor, protector, *Job.29.16. Eſa.22.21. Jer.2.27. Thr.5.3.* Pater putativus, *Luc.2.33.48. Joan.6.42.* Pater dicitur aliquid, cui adhæremus, ut filius adhæret patri: *Iob.17.4.* Pater impiorum, & mendacii, *Joan.8.38.41.44.* Paterfamilias *Ruth.2.2. Matth.10.15.*

☞ *Conſule Locum de Parentibus, & Filiis.*

PATRES SPIRITUALES.

Patrum etiam nomen uſu ipſo, & officii, quadam ſimilitudine gerunt ii, qui in hominum ſalute procuranda laborant, & ſibi ſubditos verbi divini pabulo reficiunt, qui proinde Patres Spirituales appellantur, idque potiori jure, quàm patres carnales, qui dumtaxat efficiunt, ut homo generetur mundo, cum alii in id incumbant, ut generentur Chriſto: iſti ut vivant, hi ut bene vivant, immò in æternum vivant. Tales non ſunt habendi dumtaxat alicujus inſtituti Religioſi, ſed omnes, Paſtores, Confeſſarii, Prædicatores, qui certatim deſudant, ut multos Chriſto pariant, exemplo Apoſtoli Pauli, qui nullum laborem ſubterfugiebat, ut omne conſilium Dei annuntiaret Epheſiis, quidquid videlicet Deo auctore, ſeu volente neceſſarium erat in myſteriis, in moribus, in Eccleſiæ adminiſtratione, ad ſalutem conſequendam. *Actor.c.20.* Qui etiam ſe Corinthios per Evangelium genuiſſe teſtatur, adeòque munus patris ſpiritualis exercuiſſe, cum reliqui eorum Doctores tantùm inſtar pædagogorum, qui filios à patre genitos inſtruxerint, fuerint. *1.Cor.c.4.verſ.15.*

☞ *Huc referantur, quæ de Paſtoribus paulò ante dicta ſunt.*

* SS. PATRES.

Quinam dicantur.

Communiter nomine Patrum veteres intelligimus: Patriarchas quidem, & Prophetas teſtamenti prioris; qui etiam Majores nonnunquam vocantur in Scripturis: Doctores verò Eccleſiæ primitivæ Teſtamenti novi, qui velut recens congregatam fidelium collectionem paterno ſinu complexi ſunt, & ſcriptis, ac prædicatione ſua eos foverunt, paternamque ſolicitudinem velut filiis ſibi creditis exhibuerunt.

* SANCTORUM PATRUM AUCTORITAS Maxima in rebus Fidei.

Eccleſiæ poteſtas, & judicium circa dogmata fidei, in ſanctorum Patrum, qui ab Eccleſia recepti ſunt, teſtimoniis plurimùm verſatur, ac certò, ſalubriterque exercetur, quod cùm pluribus, iiſque validiſſimis rationibus demonſtrari valeat. Tres tamen potiſſimùm conſiderabimus. Primùm quidem ſancti Patres Epiſcopi, aut Sacerdotes in Eccleſia fuerint, ideòque quod de rebus fidei dogmaticè, & ex docendi propoſito, atque inſtituto ſcribunt, etiam ex Epiſcopali Chariſmate, & Sacerdotali auctoritate ſcribunt, tanquam Eccleſiæ Magiſtri, & paſtores: ut ſi illis à publica fide aberraverint, ſequatur tot Eccleſ. & greges Dominicos, quot illi olim rexerunt, à fide quoque aberraſſe.

Hanc cauſam diligentiſſimè diſputatores Orthodoxi ſemper annotarunt. His in Eccleſia Presbyteris, *inquit Irenæus*, obaudire oportet, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione acceperunt chariſma veritatis certum. Itaque ille Polycarpi, Papiæ, aliorumque teſtimoniis diligentiſſimè utitur.

Notat *Ruffinus in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica* de S. Baſilio, & Gregorio Nazianzeno, quòd adoleſcentes cùm eſſent, & ſacris ſtudiis operam dare cœpiſſent; earum, inquit, intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ex majorum ſcriptis, & authoritate hauriebant: eorum ſanè, quos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. *Hæc ille.* Quæ poſtrema verba de intelligendi regula, ex Apoſtolica ſucceſſione accepta, multùm ſunt annotanda. Hoc eſt enim dicere, quod quatenus Eccleſiarū Magiſtri, ea, quæ ſunt fidei, intelligendi regulam, & normam aſſequuti fuerant.

D. Auguſtinus, cùm contra Julianum multos patres citaſſet, hoc urgebat plurimùm, quòd Epiſcopi eſſent. Hilarium enim cùm citaſſet; Catholicus, inquit, loquitur: inſignis Eccleſiarum doctor loquitur: Hilarius loquitur. *Hæc ille.*

Idem cùm multos Epiſcopos *lib.1.* citaſſet, tandemq; etiam S.Hieronymi teſtimonium citare vellet, inquit. Nec S.Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris. Sed de Epiſcopis poſteà dicit *ſub finem lib.2.* Iſti Epiſcopi ſunt docti, graves, ſancti, in quibus invenire non potes, quod ſpernas.

Deniquè addit. Talibus Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit.

Sic cùm Eunomius præcedentium Epiſcoporum ſententias ſibi præjudicare nollet, reſpondet Baſilius. Nullam ergo rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni ſpirituali gratia claruerunt? *lib.1. contra Eunom.*

Sic, *Gregorius Nazianz. lib.2. de Theolog.* Nobis, inquit, ſatis eſt, quòd nemo ex his, qui divino numine afflati fuere, ex patribus illis, & Magiſtris noſtris, hanc ſententiam hactenus vel pronunciavit, vel pronunciatam approbavit. *Hæc ille.*

Et Euſebius Cæſarienſis rationem ſuis reddens, quare Nicæno Concilio contra Arrium conſenſiſſet, nos, inquit, Concilio conſenſimus, quoniam & priſcorum Epiſcopos aliquos conſcriptores eloquentes, & nobiles, nomine conſubſtantialis olim uſos fuiſſe agnovimus.

Nec diſſimiliter ATHANASIUS in libello pro decretis Nicænæ Synodi: cùm enim veteres Epiſcopos produxiſſet, Concilium Nicænum antegreſſos, concludit his verbis. Ecce nos demonſtravimus iſtiuſmodi ſententiam, à patribus ad patres, quaſi per manus traditam eſſe. Vox autem novi Judæi, & diſcipuli Caiphæ, quos verborum veſtrorum patres, ac majores demonſtrabitis? *Hæc ille verſùs finem libri.*

Concilia quoque ſeu generalia, ſeu particularia, in id ſemper diligentiſſimè incubuerunt, ut præſentem controverſiam ex Patribus, qui Epiſcopi in Eccleſia exſtitiſſent, definirent. Sic in Concilio Nicæno primò factum eſſe ex Euſebio jam audivimus.

Idem quoque meminit *Athanaſius in Epiſtola ad Afros apud Hiſt. Tripart. & apud Theodoretum.* Epiſcopi (*inquit Athanaſius*) non ſuopte ingenio verba excogitantes, ſed à patribus petentes teſtimonia, ſic ſcripſerunt. Moxque Epiſcoporum Romani, & Alexandrini ſententias profert.

Et in Concilio Epheſino contra Neſtorium in epiſtola ipſius Synodi, cùm ad fidei finitionem veniunt, ſic loquuntur. Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confeſſiones, quas loquente in eis Spiritu ſancto protulerunt, & intentioni eorum æquis veſtigiis inhærentes, profitemur, &c. Eadem prorſus forma verborum utuntur Patres Chalcedonenſes *Act. 5. & 6.* Idem in Concil. Generali 6. Act.10. & in Generali 7. Act.2. copioſiſſimè factum eſt.

Obſerva autem, quòd non alios Patres, vel Concilia prædicta, vel citati Patres iſti omnes citarunt, quàm quos hodie veneramur, & citare ſolemus, exceptis his, quorum libri poſteà interciderunt.

Altera cauſa eſt, quòd illa, quæ Patres in quæſtione fidei tradunt, & loquuntur, ex fide Eccleſiæ, cujus membra erant, loquuntur: ideòque teſtes ſunt illius fidei, quæ illo tum loco, & tempore per Eccleſiam recepta erat. Et hæc ratio etiam ad alios quoſvis in Eccleſia Dei ſcriptores Catholicos, non Epiſcopos, ſe extendit; ipſorumque authoritatem confirmat, quatenus teſtimonium adferunt publicæ fidei: ut in ore duorum, aut trium teſtium ſtet omne verbum. Hoc etiam diligenter, & frequenter, dum Patres ipſe citat, notat, atque urget S. AUGUSTINUS. Cùm enim Gregorium Nazianzenum citaſſet, ſic Juliavum alloquitur. An tibi parva in uno Gregorio Epiſcoporum Orientalium videtur authoritas? Eſt quidem tanta perſona, ut neque ille hoc, niſi ex fide Chriſtiana omnibus notiſſima diceret, nec illi eum tam clarum haberent, atque venerandum, niſi hæc ab illo dicta ex regula notiſſimæ veritatis agnoſcerent. *Hæc ille l.1. contra Julianum.* Quæ verba plurimum expendenda ſunt: & quod de uno illo Patre dixit, de omnibus ſanctis Patribus intelligendum.

Rurſum lib.2. contra eundem, cùm plurimos Patres allegaſſet, hoc nomine eorum judicium commendat. Hoc, inquit, probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum. Tales quippe, ac tanti viri, ſecundùm Catholicam fidem, quæ ubique toto orbe diffunditur, hæc vera eſſe confirmant.

Et paulò poſt: Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.

Nec aliter Theodoretus Joannem CHRYSOSTOMUM producturus: An non hunc, inquit hæretico, putas Apoſtolicam fidei ſervaſſe regulam? non aliter videlicet ejus teſtimonio uſurus.

Sic denique notat Socrates, cùm in Concilio Alexandrino, & de Spiritu ſancti divinitate, & de Chriſti anima cum homine aſſumpta diſputatum eſſet, non aliter hoc factum fuiſſe quàm, inquit, ſicut antiquis viris Eccleſiaſticis viſum fuit. Non enim novam aliquam religionem excogitare, inque Eccleſiam introducere, ſed quæ ab initio traditio Eccleſiaſtica præſcripſerat, & ſapientes Chriſtiani certis rationibus inquiſiverant, ſtabilire voluerunt. Atque ad hunc modum veteres omnes de hac re diſputarunt, ſcriptiſque prodiderunt ad poſteritatem: Irenæus, Clemens, Apollinaris, Serapion, Origenes quoque non quaſi primus ejus ſententiæ author, ſed myſticam de ea Eccleſiæ traditionem interpretatus.

Ex hac itaque conſideratione, quòd non ſuam, ſed Eccleſiæ fidem Patres referunt, meritò apud fideles authoritatem habent.

Tertia cauſa, quæ Patrum authoritatem neceſſariam facit, & judicii Eccleſiaſtici firmum Medium conſtituit, ea eſt, quòd eos pro patribus, magiſtris, & luminibus Eccleſiæ, univerſa Chriſti Eccleſia ſemper ſuſcepit, & venerata eſt. Sic enim fit, ut eorum judicium, totius Eccleſiæ ſit judicium. Nam quemadmodum veterum hæreticorum ſcripta, ideò omnia perierunt, nec illi pro patribus haberi potuerunt, quia Eccleſia Dei, & ipſos, & ipſorum ſcripta damnavit, atque abolevit, ſic contra Sanctorum Patrum ſcripta ideò ad nos uſque pervenerunt, & ideò ipſi pro patribus hodie habentur, quia Eccleſia, & ipſorum ſcripta conſecravit, & approbavit.

Ex cujus cauſæ conſideratione Gregorius Magnus: Liquet inquit, quod Arrius, Photinus, Macedonius, multique his ſimiles, docendo, atque ſuadendo conati ſunt Patres videri: ſed errores eorum, ſancta univerſalis Eccleſia diſtricta ſeveritate dijudicans, eos inter cuſtodes gregis ſui non numerat, quos ejuſdem gregis unitatem diſſipantes damnat.

Sic etiam de multis Hæreſiarchis notat eleganter *Vincentius Lirinenſis*, & inter cætera de Apollinari dicit. Longum eſt univerſa commemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profana illa hæreticæ pravitatis libidine novum neſcio quid inveniſſet, &c. *Moral. lib.20. c.7.*

Denique hac de cauſa Gelaſius primus Pontifex doctiſſimus *Cant.5. in Matth.* in Synodo 70. Epiſcoporum, nominaitim, qui Scriptores pro patribus Eccleſiæ habendi, & legend eſſent, qui pro Apocryphis reſpuendi, (facta diligenti authorum commemoratione, & enumeratione) definit. *Vide ejus hac de re Decretum tom.2. Concil.*

Et hoc ſanè in ſenſu, hacque de cauſa D. Auguſtinus, cùm CYPRIANUM, & AMBROSIUM contra Pelagianos citaſſet. Ecce, inquit, ſancti, & docti viri, fama totius Eccleſiæ conſtante Catholici.

Eſt ergo SS. Patrum authoritas validiſſima, quia non temerè, aut pro cujuſque arbitrio, ſed ex ipſius Eccleſiæ maturo judicio, perpetua, & generali conſenſione, pro Patribus habiti ſunt, quos hoc nomine hodie veneramur.

Addamus prioribus ſaluberrimum *S. Ambroſii* monitum *l. 3. de fide ad Gratian.c.7.* Servemus, ait, præcepta majorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. Librum ſignatum illum propheticum, non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, non Archangeli, aperire auſi ſunt; ſoli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum ſacerdotalem, quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus, & multorum jam martyrio conſecratum? Quem igitur reſignare conati ſunt, poſteà tamen damnata fraude ſignarunt. Qui violare auſi non ſunt, Confeſſores, & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus.

Et *D. Hieronymus*. Scito, inquit, nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti jura ſervare, nec Patrum tranſire terminos, ſemperque meminiſſe. Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam: cujus ſe eſſe participem, Alexandrina Eccleſia gloriatur.

Non quòd majores noſtros, hoc ſolo nomine, quòd majores noſtri ſint, ſequamur: quamvis enim non inſulſum ſit, quod apud Ciceronem dicit Cotta Lucullo, Majoribus noſtris etiam nulla ratione reddita, rationis eſſe credere, id tamen intelligendum eſt, ubi tales fuiſſe majores demonſtrari potuerit, quibus dignum ſit accommodari fidem. Alioqui tam falſæ ſæpe, quam veræ Religiones ſuſciperentur, falſa majorum authoritate. Contra quam perſuaſionem ſcripſit Lactantius.

Unde Timotheum ſic admonuit Apoſtolus. Tu verò permane in iis, quæ didiciſti; ſciens à quo didiceris, Quam admonitionem, ut ſibi quoque factam, poſterioris Eccleſiæ paſtores inſecuti, repudiata ſemper novitate, permanſerunt in iis, quæ didicerant; probè ſcientes, quales, quantique fuerint viri, & quàm multi diverſis terrarum partibus, diverſiſque temporibus florentes Eccleſiæ Chriſti paſtores, à quibus ea percepiſſent,

ſent, qui omnes ſi erraſſent, viderentur portæ inferi præva- A luiſſe contra Eccleſiam; quod nunquam futurum Chriſti promiſſione certum erat.

Sic in Concilio Epheſino omnibus Sacerdotibus, numero ferè ducentis, hoc Catholiciſmum, hoc rectiſſimum, atque optimum factum viſum eſt, ut in medium Sanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum idcircò major meritò habebatur authoritas, quòd eorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuiſſe conſtaret.

In Concilio Chalcedonenſi quoque; cum dixiſſet aliquis, Vultis fidem Sanctorum Patrum invocare? omnes una voce reſponderunt; Si quis innovat anathema ſit; Si quis diſcutiat anathema ſit. Sanctorum Patrum fidem ſervemus oportet.

* AB HÆRESIBUS, ET HÆRETICIS AD PATRES POVOCATUR A VETERIBUS.

Certè validiſſimum ſemper telum viſum fuit exactorum ſæculorum Doctoribus adversùs hæreſes, earumque architectos ad Patres primitivos provocare. Pluries id factum ab Auguſtino conſtat. Donatiſtæ cùm dicerent communione ma- B lorum contaminari Eccleſiam, rogat Auguſtinus, an Cypriani tempore ita factum ſit. Si contaminabatur, inquit, jam tunc periit Eccleſia, non erat ergo, unde propagaremini. *Bapt. cont. Donatiſt. lib. 2. cap. 7.*

Et lib. 5. cap. 1. Non poſſunt, inquit, dicere Cypriani tempore periiſſe Eccleſiam: Aliqui enim nec originem ſuam poterunt aſſerere.

Et contra Parmenianum, lib. 3. c. 2. Quid ſe ipſi jactant inquit, quod habeant Eccleſiam, ſi jam Cypriani temporibus eſſe deſtiterit? Dicant enim unde natus eſt Majorinus aut Donatus, ut per eos naſceretur Parmenianus, aut Primianus. Hæc ille, ſemper pro abſurdiſſimo ponens Eccleſiam jam olim periiſſe. Inde enim conſequi nullam amplius eſſe poſſe, quia non ſupereſt, unde quis poſſit naſci.

Sic & contra Pelagianos cùm anteceſſores ſuos in Eccleſia Dei Epiſcopos produxiſſet, Cyprianus, Hilarium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Gregorium, Baſilium, & alios. Ego inquit, à tenebris Pelagianis ad hæc tam clara Catholica lumina provoco. Tu reſponde quid facias, dic, quò confugias? Ergo à Pelagianis ad iſtos: Tu ab iſtis ad quos? *Hæc ille.*

C Ergo adeò ſemper viſa eſt doctiſſimis in Eccleſia Patribus pluſquam abſurdiſſima Proteſtantium ſuppoſitio, ideò eos ordinatos ab Epiſcopis non eſſe, quia non ſuperſunt Epiſcopi, qui eos ordinent, ut hoc ſi verum eſſet, conſequeretur (quod tamen conſequi non abſurdiſſimum modò, ſed & blaſphemia, ac impietate pleniſſimum illis videbatur:) nullam amplius in terris Eccleſiam non ſolum non ſupereſſe, ſed nec ſupereſſe potuiſſe.

Patientia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAtientiam ex Cicerone definit S. Aug. quòd ſit honeſtatis ac utilitatis cauſa, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpeſſio. Aliam deſcriptionem habet *in l. de Patientia*, quem malè Eraſmus negat eſſe Auguſtini; quòd ſit virtus, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora deveniamus.

Græci Patientiam ὑπομονὴν appellant, & patientem ὑπομονικόν.

D Hebræis verbum *Sabal*, ſignificat, bajulavit, portavit onus grave grande onus ſibi impoſitum geſtavit. Hic fortaſſis Sabulum, *Sable* Gall. Quoniam afflictiones ſunt onera graviſſima, idcircò ſæpius verbum illud ad patientiam, piorum præſertim, referri poteſt. Nam patientia ca vera eſt, cùm ex agnitione divinæ ſapientiæ, providentiæ, voluntatis, juſtitiæ bonitatis, & majeſtatis Deo nos ſubiicimus ad placidè ferendum, cùm perſecutionem veritatis ab ipſo nobis impoſitam ſentimus. *Job.* 1. 20. 10.

USURPATIO VOCIS.

Patientia dupliciter accipitur, juxta *D. Thom. q.* 136. 2. 2. Primò pro virtute, quæ firmat animum adversùs timores, & dolores mortis, & malorum mortem inferentium; quæ enituit maximè in Martyribus: hæc eſt pars fortitudinis integralis, vel ipſa virtus fortitudinis inadæquatè concepta.

Secundò, pro virtute, quæ in aliis malis animum confirmat, moderando mœrores, qui ex illis percipi ſolent; ne videlicet propter hos à præſcripto rationis recedat, ſeu aliquid indecori agat: ut in morte parentum, filiorum, amicorum, in exilio in damnis, in morbis, in contumeliis, aliiſque id genus malis: hæc enim magnos mœrores adferre ſolent, qui hominem ſæpe ab arce rationis, & officio virtutis deturbant, & ad malum concitant. Hoc modò eſt virtus annexa fortitudi- E ni, ut ſecundaria principali.

MATERIA.

Proxima igitur hujus virtutis materia, eſt triſtitia, & afflictio animi, ob mala prædicta incidere ſolita: hanc enim vel planè comprimit, vel moderatur, ei quandam ſui ſimilitudinem veluti formam imprimens, & ita eam temperans, ut recta ratio præſcribit, & virum patientem decet; nimirum, ut rationem plenè ſui compotem relinquat, nec virtutes alias in ſuis officiis impediat.

Remota materia, ſunt actiones, verba, & geſtus externi, quæ ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat; ita ut per triſtitiam nihil indecori foris agat; ſed mala ſe æquo animo ferre oſtendat.

Remotiſſima autem ſunt ipſa mala: hæc enim dicuntur materia patientiæ; non quod patientia illis formam, ſeu modum virtutis imprimat; (hanc enim ſolis affectibus internis, & actionibus externis communicat) ſed quia ſunt objectum, & cauſa triſtitiæ, quæ proxima patientiæ eſt materia: Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis. F

NECESSITAS.

Patientia tam eſt neceſſaria ad ſalutem, quàm eſt neceſſarium, hominem per hujus vitæ mala, vel quæ noſtra mortalitas invehit, vel ab aliis irrogantur, à bono non abſtrahi, aut ad malum non impelli. Et quia hujuſmodi mala maximè oppugnant Chriſtianos, ut rectam religionem deſerant, aut juxta ejus præſcriptum non vivant; ideò his maximè neceſſaria eſt, juxta illud Domini; In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quo ſignificatur, ſalutem animæ nonniſi per patientiam acquiri poſſe.

VITIA OPPOSITA.

Vitia patientiæ adverſa ſunt, Inſenſibilitas, & Impatientia, illud per defectum: non enim eſt laudabile, nec humanæ naturæ conſentaneum, nullis malis neque tuis, neque proximorum tangi; id enim ſignum eſt brutæ ſtoliditatis, vel inhumanæ duritiei: nec congruit amicitiæ, & vitæ politicæ. Hoc verò per exceſſum: ut cum quis nimium dolet, aut etiam ex dolore à recto diſcedit. Quicunque enim, ob dolorem vel mœrorem, ut illum vitet, pellat, aut ſoletur, G animoque ſuo ſic affectum indulgeat, aliquid mali faciat, impatiens eſt, juſtum dolendi modum, quem patientia præſcribit, exuperans. Impatiens etiam dici poteſt, qui ira, vel indignatione excedit, præſertim ſi hunc motum animi ſui foris oſtendat: nam ira etiam triſtitiam, & afflictionem includit: è contrario, qui non facilè iraſcitur patiens, quamvis hic potius manſuetus ſit dicendus, aliter iracundus.

ADMINICULA SEX.

Quia verò patientiæ virtus maximè eſt homini Chriſtiano neceſſaria, notanda duxi ex Scripturis, & Patribus quædam præcipua ejus incitamenta, quæ ad ejus cultum, & exercitationem vehementer poſſint commovere.

Primum ſit patientia ipſius Dei: in qua duo potiſſimùm conſideranda. Alterum, quòd tanta beneficia aſſiduè in peccatores conferat. Alterum, quòd eorum injurias tam benignè toleret. Utrumque eleganter expreſſit *Tertul. lib. de patientia*, cùm ait: Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem, &c. divina diſpoſitio delegat, Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum: jam primum, qui florem lucis hujus ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargit: qui temporum H officia, elementorum ſervitia, totius genituræ tributa dignis ſimul, & indignis partitur ſimiliter occurrere: ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen & familiam ipſius perſequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, ut ſua ſibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.

Eundem locum pulcherrimè proſequitur *Cyprianus, lib. de bono patientiæ, in principio.*

Secundum, Patientia Chriſti, in qua Deus, ut inquit Tertullianus, ſpiritum ſuum cum tota patientia collocavit, cujus tota vita eximium fuit patientiæ ſpeculum; paſſio verò ſupremum exemplar. Saginari enim, ut idem ait, voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.

Proſequitur hoc pulcherrimè *Cyprianus loco citato.*

Hic conſiderandum, quis patiatur, & quantus, quid, à quibus, pro quibus cur, ubi, & quando.

Tertium, patientia Sanctorum veteris teſtamenti, Abelis, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moyſes, David, Tobiæ, & in primis

primis S. Job, qui, ut Tertullianus loquitur, omnem patien- A tiæ ſpeciem adversùs omnem Diaboli vim expunxit, quem non abacti greges, non ille in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia, fide Domino dedita excluſit: *& infrà*, Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit, quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi, Deo gratias, &c. Quòd ſi illi rudi, illo ſæculo, ante Chriſti doctrinam, & exemplum, tantam in adverſis patientiam præſtitere; quantum nos perpetrare oportet (ut Tertulliani verbo utar) in luce Evangelii, in ſchola Chriſti, in hac copia gratiæ, inter infinita exempla Sanctorum non Teſtamenti?

Quartum, maximus patientiæ fructus, cùm in hac vita, tum in futura: in hac enim vita. Primò, parit ſatisfactionem pro peccatis: exigua enim tolerantia maximas futuri ſæculi pœnas redimimus: facilè toleratur jactura decem aureorum, qua redimitur confiſcatio decem millium, *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 9. & Gratianum de pœnitent. diſtinct.* 3. Secundò, juvat omnes virtutes, eaſque reddit ſtabiles & B perficit: qui enim virtutis bonum in adverſis retinet, oſtendat affectum ſuum illi perfectè, & firmiter inhærere, & quovis alio caſu inhæſurum.

Declarat hoc *Tertullianus*: Patientia, inquit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſin aſſignat, carnem regit, ſpiritum ſervat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat, &c.

In futura autem vita maximam adducet gloriam; nam ut Apoſtolus *ad Corinth.* 4. ait: Id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Ubi in verbis illis, momentaneum, & æternum, leve, & pondus, tribulationis, & gloriæ, in præſenti, & ſublimitate, emphaſin, & anthiteſin conſidera.

Quintum, tormenta inferorum, quibus ſæpè digni fuimus, & tamen evaſimus: qui enim hæc attentè conſiderat, omnia hujus vitæ incommoda nihili æſtimabit; ſed veluti in deliciis ponet. Sicut qui conſiderat maximam calamitatem, qua plu- C rimi ſunt oppreſſi, ſe cum paucis evaſiſſe, modicam jacturam nihili facit; ſed ſe cum illa felicem reputat, ſibique gratulatur, quod licuerit tam parvo incommodo elabi. *Vide Albertum de Virtutibus cap.* 4.

Sextum, impatientiæ incommoda. Nam primò amittis meritum patientiæ. Secundò, afflictio non minuitur per impatientiam, ſed exaſperatur, majus enim ipſa tormentum, & dirius animum excrucians, quàm ipſum originale malum, unde impatientia excitatur: è contrario per patientiam dolor valdè miteſcit. Tertiò, impellit ad omne genus peccati; ad blaſphemiam, contumeliam, homicidium, adulterium, furtum, &c.

Unde *Tertullianus*: Ut compendio dictum ſit, omne peccatum impatientiæ adſcribendum: malum impatientia eſt boni. Hic tamen non illud laxius uſurpatur. Idem proſequitur *Cyprianus.*

GRADUS.

Quod ad gradus patientiæ attinet, variis modi aſſignari poſſunt.

D Primò, ex parte malorum, quæ quis patitur: & ſic primus gradus eſt, cum patientiam retinemus in damnis fortunarum.

Secundus in detrimentis famæ.

Tertius in detrimentis corporis, & vitæ; quò pertinet patientia Job, & Sanctorum Martyrum, & in primis Chriſti Domini.

Secundò, ex parte modi perferendi. *& ſic.*

Primus gradus eſt, Tolerare ſine murmuratione.

Secundus, ſine lamentatione, & querimoniis apud alios.

Tertius, Cum gaudio; ſicut Apoſtoli, qui ibant gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Ad hunc hortatur Apoſtolus Jacobus *cap.* 1. ſuæ epiſtolæ: Omne gaudium exiſtimate, fratres, &c.

Tertiò, ex parte cauſæ ipſius mali, quod patimur. Hoc modo.

Primus gradus eſt, Si patienter feramus mala, quæ pro culpis noſtris, ſive à Deo, ſive ab hominibus irrogantur.

Secundus: ſi abſque noſtra culpa ab inimicis, vel aliis, qui nobis obſtricti non ſunt, illa patiamur.

Tertius, Si inferantur ab iis, qui multis beneficiis à nobis affecti fuerunt: illa enim ingratitudo maximè auget injuriæ E atrocitatem, & provocat iram. Unde difficillimum eſt erga tales retinere patientiam.

Quartus eſt, Hujuſmodi injurias non ſolùm æquo, ſed etiam libenti animo perferre, & etiam deſiderare; ut ſic aliquo modo Dominum noſtrum imitemur, qui omnia injuriarum, & afflictionum genera, ab iis, quos ſummis beneficiis affecerat, patientiſſimè ſuſtinuit, & pro iiſdem etiam patrem rogavit.

Vide Cyprianum, & Tertullianum, locis citatis.

PATIENTIÆ IMAGO.

EX TERTULIANO, *cap. 15. lib. de Patientia.*

1. Vultus illi tranquillus, & placidus.
2. Frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta.
3. Supercilia in lætum modum remiſſa.
4. Oculi humilitate, non infelicitate dejecti.
5. Os taciturnitatis rubore ſignatum.
6. Color qualis ſecuris, & innoxiis.
7. Motus frequens capitis in diabolum, & minax riſus.
8. Amictus circum pectora candidus, & corpori impreſſus, F ut qui nec inflatur, nec inquietatur.
9. Sedet in throno ſpiritus ejus mitiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus, & ſimplex, quem tertiò vidit Elias: nam ubi Deus, ibi & alumna ejus patientia ſcilicet: cùm ergo ſpiritus Dei deſcendit, individua patientia comitatur eum.

FRUCTUS VARII.

Idem Tertull. *cap. 12.* hos patientiæ fructus aſſignat.

Primus eſt pax, & reconciliatio cum proximis.

1. Patiens implet legem Chriſti, jubet ignoſci fratri, non ſepties: ſed ſeptuagies ſepties: item, ut remittamus fratri offenſam, ſi à Deo veniam, & remiſſionem cupimus.

2. Et Apoſtoli dicentis: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, non licet ergo nobis una die ſine patientia manere.

3. Conjugatos diſſidentes patientia conciliat: alterum adulterum non facit, alterum emendat.

4. Prodigum filium patientia patris recipit, veſtit, paſcit, & apud impietatem irati fratris excuſat.

Secundus patientiæ fructus, eſt dilectio, & charitas.

Dilectio ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis G theſaurus, quam Apoſtolus totis viribus Spiritus S. commendat, cujus niſi patientiæ diſciplinis eruditur?

1. Dilectio, *inquit*, magnanimis eſt, ira patientiam ſumit.
2. Benefica eſt, malum patientia non facit.
3. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium eſt.
4. Nec ſuperbum ſapit: modeſtiam de patientia traxit.
5. Non inflatur, non protervit: & hoc ad patientiam pertinet.
6. Non irritatur, omnia ſuſtinet, omnia tolerat: utique, quia patiens eſt.
7. Meritò ergo nunquam excidet: exhauriuntur linguæ, ſcientiæ, prophetiæ: permanent fides, ſpes, dilectio: fides, quam Chriſti patientia induxit: ſpes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magiſtro patientia comitatur.

Tertius eſt, quòd patientia ſuggerat pietatis exercitia. c. 13.

Quæ eſt negotiatio patientiæ in corpore?

1. Afflictatio carnis, hoſtia Domino placatoria.
2. Jejunia cum cinere, & ſacco conjuncta.
3. Precationes, & deprecationes. H
4. Continentia carnis.
5. Conſtantia ſub cruce.

Exempla ſunt. Secatur Iſaias, patientiæ viribus armatus, & de Domino non tacet: lapidatur Stephanus, & veniam hoſtibus ſuis poſtulat: Job omnem patientiæ ſpeciem adversùs omnem Diaboli vim expungit, quem non abacti greges, non filii uno ruinæ impetu adempti, non corporis cruciatus à patientia excluſit: quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit? quale vexillum gloriæ, cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias? quid? ridebat Deus: quid? diſſecabatur Satan. Hinc omnia duplicia recuperavit,

Quartus eſt, quòd patientia cæteras virtutes parit, c. 15.

Fidem munit.
Pacem gubernat.
Dilectionem adjuvat.
Humilitatem inſtruit.
Pœnitentiam expectat.

Exomolo-